n. 104

-P. 102-

A

B

5. 1728
8. 5. 1729.
5. 1732.
5. Gen.ro 1721:

1

P. 102

Primum Decalogi Præceptum.



2

De Zege
Crevna et Narvvali.

De Lege ęterna et naturali.

Quigandr.
Tract: 6:
Exam: 1:

B:

Quid est Lex ęterna? estne omni creaturę rationali nota? Et omnium aliarum legum causa?

Resp: 1: Lex ęterna est ratio diuinę sapientię, secundum quod est directiua omnium actionum, et motuū. Ita definit eam S. Thom: Nota, quod lex ęterna per rationem differat à prouidentia, et Ideis diuinis. Nam lex ęterna per se primo respicit bonum commune totius Vniuersi, Prouidentia dei uerò bonū singulare cuiusuis creaturę: Item lex in sua ratione dicit uim obligandi, non uerò ~~prudentia~~ prouidentia. Ideę diuinę respiciunt res ut creabiles, seu earum entitates, lex uero ut gubernandas earumque motus et actiones ad ordinem illarū in finem.

2. Lex ęterna est omni creaturę rationali nota. Ita S. Thom. Declaratur ex eodem: Dupliciter aliquid cognosci potest. Uno modo in seipso alio modo in suo effectu, in quo aliqua similitudo eius inueniatur. Sicut aliquis non uidens solem in sua substantia, cognoscit ipsū in sua irradiatione. Sic legem ęternam, secundum quod in se ipsa est (qualiter est idem cum essentia Diuina) nullus cognoscere potest,

4

4:

nisi solus Deus, et Beati Deum per essentiam uidentes: tamen omnis creatura rationalis, pro sua quisque capacitate, ipsam cognoscit in effectu, seu secundum aliquam eius irradiationem uel maiorem, uel minorem, inuisibilia Dei per ea, quę facta sunt, intellectu conspiciendo: omnis enim cognitio ueritatis est quędam irradiatio et participatio legis ęternę, quę est ueritas incommutabilis. Subsumo:. Sed omnes homines, etiam dum primò ueniunt ad usum rationis aliqualiter saltem cognoscunt ueritatem ad minus quantum ad comunia principia legis naturalis, u. g. bonum est faciendum, malum est fugiendum. Ergo omnes legem ęternam pro modulo suo agnoscunt, saltem in actu exercito, si non in actu signato.

Resp: 6: Omnes alię leges deriuantur à lege ęterna. Ita D. Thom: cuius est hęc Ratio 1: Lex ęterna est Ratio Diuinę Sapientię, ut supra: Subsumo: Sed Diuina Sapientia dicit Prou: 8: Per me Reges regnant, et legum conditores iusta decernunt. Ergo. Ratio 2. Lex importat rationem quandam directiuam actuum ad finem: Sed in omnibus mouentibus ordinatis oportet,

quod

quod virtus secundi mouentis deriuetur à virtute mouentis primi, quia mouens secundum non mouet, nisi in quantum mouetur à primo, ut patet in Regentibus subordinatis: Lex autem aeterna est Ratio gubernationis in supremo gubernante. Ergo omnes rationes gubernationis (quę sunt Leges) quę sunt in inferioribus gubernantibus, à Lege aeterna deriuantur.

Subduntur ne Legi aeternę omnes creaturę totius Uniuersi, naturales insensatę, irrationales, rationales?

Resp: affirm: cum S. Thoma: sensus est: Quod si Lex sumatur late et ample (ut est solum mouens et ordinans) omnes creaturę subiiciantur Legi aeternę. Unde S. D. ait: Quęcunque diuinę ordinationi subduntur, subiiciuntur etiam Legi aeternę: sed omnes res etiam insensatę subiiciuntur diuinę ordinationi, ut patet: Ergo et Legi naturę in dicto sensu. Si verò Lex aeterna sumatur proprie et stricte, ut est praecipiens et obligans, materia ei subiecta sunt soli actus humani, seu morales, creaturę rationalis. Ratio: Tum quia sola creatura rationalis est capax Legis in

rigore sumptę, uti et obedientię, ratione indifferentię libertatis: tum etiam quia omnes actus humani suā bonitatem vel malitiam habent per ordinem conformitatis vel deformitatis ad legem Dei ęternam et alias ab ea descendentes: sic ut illa sit regula saltem remota nostrorum actuum, ergo.

Quid est lex naturalis? estne mutabilis mutatione propriè dicta, aut dispensabilis?

Pręmittendum, quod lex vel ius naturę aliud est merè permissiuum, id est, nec pręceptiuum, nec prohibitiuum. Aliud est positiuum, seu positiuè pręcipiens vel prohibens. Huius secundi generis sunt pręcepta Decalogi. Et de his est quęstio. Primi generis verò mutabilia sunt qualia sunt, v.g. esse liberum seu non esse mancipium bona temporalia esse diuisa vel comunia. Hęc enim natura non pręcipit, nec prohibet sed permittit. Unde bonorū diuisio et seruitus introducta est iure gentiū et eodem iure hęc sunt mutabilia, quę tamen mutatione non facta lex naturę dictat, nullum in legitima possessione esse

turbandum.

turbandum. Hoc præmisso.

Resp: 1: Lex naturalis est dictamen quoddam rationis natura:lis à Natura, seu ab Authore naturæ inditum, dictans quid bonum sit vel malum, quid agendum quidve omit:tendum. Declaratur. Dicitur inditum ab Authore na:turæ, quia omnis Lex debet esse lata ab alio, ut supe:riore: Dicitur dictamen, quia non merè ostensiuum boni, et mali, sed et præceptiuum, habet enim se per mo:dum imperii: Fac hoc.

Resp: 2: Probabilior sententia cum S. Thoma docet, quod Lex naturalis, non potest ulla potestate etiam diuina, mutari mutatione, vel dispensatione propriè dicta bene tamen impropriè, seu ex parte materiæ. Ante. Proba:tur

Nota 1: ex S. Thoma. Lex naturalis potest intelligi muta:ri dupliciter. Uno modo per hoc, quod ei aliquid adda:tur et sic nihil prohibet, Legem naturalem mutari, multa enim illi sunt superaddita ad humanam vitam utilia tam per legem diuinam quam per humanam. Alio modo potest intelligi mutatio Legis na:turalis per modum subtractionis, ut scilicet aliquid

desinat esse de lege naturali quod ante erat de illa. Et de hoc secundo modo est difficultas. Pro quo.

Nota 1°: mutationem (idem est de dispensatione) Legis dupliciter posse fieri. 1. Formaliter et proprie, ut si obiectum maneat in iisdem circumstantiis, in quibus terminabat intentionem Legislatoris, et tamen tollatur obligatio eius. 2. Materialiter et improprie, si nimirum Legis obiectum, materia et circumstantiae ita varientur, ut Legislatoris intentio, consequenter et Legis obligatio ad illud non amplius se extendat. Alii cum Boner paulo aliter hoc explicant, dicentes mutationem Legis proprie dictam esse, si ipsa mutetur in se, ut si expiret finito tempore, v.g. uno anno pro quo praecise est lata: vel si de iusta fiat iniusta; vel si a Superiore abrogetur, aut per dispensationem ab eo restringatur. Mutationem Legis improprie vel large sumptam dicunt esse si fiat mutatio ex parte materiae desinentis subiacere obligationi Legis. Quae mutatio maxime locum habet in iis quae a libero humanae voluntatis (quae mutabilis est) placito dependent, ut sunt vota, iuramenta et alia notata.

Ratio

De Lege aeterna, et naturali.

Ratio 1 par.s est: Quod est per se et intrinsece bonum, non potest per ullam potestatem fieri malum, et e contra quod est intrinsece malum, non potest ullatenus fieri bonum: sed quod Lex naturae iubet aut vetat est per se, et intrinsece bonum, vel malum. Ergo per nullam formalem mutationem vel dispensationem potest se aliter habere. Min: prob: Quae Lege naturae prohibentur vel imperantur non ideo sunt mala quia prohibentur: nec ideo bona, quia imperantur: sed prohibentur vel imperantur, ~~vel [illegible]~~ quia per se et ex natura sua sunt mala, vel bona, ita ut bonitas vel malitia actus non pendeat ab extrinseca voluntate Dei, sed ex natura ipsius obiecti suis circumstantiis vestiti, ut patet in praeceptis de honorando parentes de non mentiendo de non fornicando etc. Confirmo. Lex naturae non est ad tempus lata, nec potest fieri iniusta, nec abrogari seu aboleri per contrariam legem consuetudinem, vel desuetudinem et hoc ob rationem mox datam. Ergo.

Ratio 2. par.s Materia Legis naturae non semper eodem modo se habet, sed ob occurrentes interdum alias circumstantias

variatur.

variatur. Ergo etiam tunc sequitur, ut id quod antea erat
de Lege naturę non amplius sit. Antec: declaratur ab
exemplis quę hic ventilari solent. Primum est de Israe:
litis auferentibus bona Ægyptiorum Exod: 12: Secundu
de dispensatione Dei cum Abrahamo, ut interficeret, et
immolaret filium suum Isaac Gen: 20: Ubi Deus sua
potestate mutavit materiam Legis, id est bona Ægyptiorum
donavit Israelitis, transferendo eorum dominium in illos.
Item erat Dominus vitę innocentis Isaaci. Ergo alteri po:
terat dare facultatem occidendi. Tertium est, Deus, et
authoritate Dei Papa potest mutare materiam iura:
menti, ac voti (saltem simplicis) quę est fundamentum
obligationis: hęc enim materia est actus humanus ac liber
voluntatis nostrę, super quam Papa habet potestatem.
Ergo potest eam mutare ac Legis obligationi subtrahere,
obligatio quoque tollitur sublato fundamento: Sed hęc
est materialis mutatio ac impropria dispensatio Legis.
Ergo. ~~potest eam mutare ac Legis obligationi subtrahere~~
Quartum lex naturę dictat, depositum, vel arma esse
reddenda, si autem petantur in damnum tertii, per

hanc

De Lege Aeterna et naturali.

jvi:

hanc circumstantiam mutatur materia Legis et depositarius 11
non tenetur reddere. Solet hic etiam adduci exemplum
Oseae, cui Deus iussit ut acciperet uxorem fornicariam,
et de libello repudii sed de his alibi. An vero
haec materialis mutatio cadat in omnia Legis naturae prae:
cepta, patebit negative ex dicendis postea ad q. 5:
Eadem materialis mutatio est in matrimonio clandestino.
Item in lege usucapionis, qua non accipitur alienum sed
pro tranquillitate Reip:, et ne dominia rerum fiant
incerta, supremus Magistratus dominium rei de uno
transfert in alium de quo infra.

Nonne Lex naturae patitur interpretationem, vel Epikeiam?
Ante Rn: Nota quod licet interpretatio et Epikeia in
largo et vulgari sensu accipiantur pro eodem, proprie
tamen idem non sunt: quia interpretatio est simplex
declaratio Legis, ac verborum, quibus lata est quorum
sensus non est omnino clarus. Epikeia vero iuxta Phi:
losophum 5. Ethic: c. 10: proprie est emendatio Legis,
ubi deficit propter universale. Nam cum Lex sit univer:
salis, Legislator autem non possit omnes casus praevidere

fit, ut in aliquo erret, et tunc contra verba Legis ex præsumpta volunt[illegible] Legislatoris utitur Epikeia, eo quod ille censeatur [illegible]lle in hoc casu obligare: et ita se explicaret si adesset. Hoc notato.

Dico. Lex naturalis patitur quidem simplicem interpretationem, seu declarationem, non tamen proprie dictam Epikeiam.

Ratio. Epikeia est emendatio Legis ubi deficit et interpretatur mentem Legislatoris quando ab ipso mens non potest haberi. Sed Lex naturæ nequit emendari nec deficere uti dictum est sup. Et ratio naturalis quæ est Legislatrix, etiam eam explicat si qua declaratione indigeat, ut patebit in exemplis mox dandis. Ergo. Confirm: Non omnia Legis naturæ præcepta sunt æque facilia intellectu, et nota, sed aliqua sunt declaranda v.g. Lex naturæ dictat suum cuique relinquendum, non esse occidendum, secretum esse servandum, alienum esse restituendum etc. et tamen ipsa ratio naturalis, quæ has leges tulit, eas declarat, nimirum in extrema necessitate licere ab alio accipere necessaria vitæ, licere occidere aggressorem cum moderamine inculpatæ tutelæ, secretum non esse servandum,

si

si urgeat in perniciem Reip: si utilitatis cedat in damnum tertii. Ergo.

5. Spectantne omnia Decalogi præcepta ad Legem naturæ, ut sint immutabilia, et indispensabilia?

Resp: 1: affirmatiue ad 1: part: Quæsiti, excepto tertio præcepto de sanctificatione Sabbathi, præcisè quantum ad determinationem temporis. Ratio: Omnia, quæ in Decalogo præcipiuntur, uel prohibentur, sunt intrinsece bona, uel mala ut patet in cultu Dei, honore parentum, furto, adulterio, suntque prohibita quia mala uel præcepta quia bona. Ergo. Hæc doctrina est contra aliquos Iuristas sentientes, prima principia practica per se nota esse tantum de iure naturæ, conclusiones uerò ex iis deductas, nimirum præcepta Decalogi, esse de iure gentium. Quæ sententia potest cum nostra conciliari dicendo ius gentium dupliciter accipi posse. 1 Propriè, strictè ac effectiuè, id est, à Gentibus effectum seu institutum. 2 Largè impropriè, seu obiectiuè, id est ab omnibus Gentibus uelut subiectis obseruatum. Si Iuristæ loquuntur de Iure Gentium in secunda acceptione, libenter teneo cum illis, non uerò in prima significatione.

Resp: 2.

Resp: 2: Omnia decalogi præcepta sunt simpliciter indis=pensabilia, nullo excepto.

Resp: 3: Aliqua decalogi, ac legis naturæ præcepta nec materialiter possunt mutari, nec improprie dispensari, sed materia eorum absolute est inuariabilis: Ratio quia quorundam materia habet essentialem conuenientiam, vel es=sentialem repugnantiam cum lege æterna dei et ratione. Talia sunt præcepta de colendo uno vero deo, de non men=tiendo, de non blasphemando.

Resp: 4: Præcepta non solum primæ sed et secundæ tabulæ formaliter, et proprie sunt indispensabilia. Ratio: 2: ad Timoth: ait Apost: deus fidelis permanet, negare seipsum non potest: negaret autem seipsum, si ordinem iustitiæ suæ auferet, cum ipse sit ipsa sua iustitia: et ideo in hoc deus dispensare non potest ut homini li=ceat non ordinate se habere ad deum vel non subdi ordini iustitiæ eius, etiam in his, secundum quæ homines ad inuicem ordinantur.

Porrò non dari inuincibilis ignorantia legis naturæ, et decalogi

in homine

in homine habente usum rationis? Quid sit ignorantia inuincibilis uide Tract: 3: Exam: 1: n.° 23.

Nota. Præcepta Legis naturæ ad tres classes posse reduci, sic ut in prima classe sint illa uniuersalissima non tam præcepta quam præceptorum omnium principia: Bonum est faciendum: Malum est fugiendum. Quod tibi non uis fieri &c. In secunda classe sunt, quæ ex iuris solo rationis naturalis lumine per facilem discursum deducuntur, uti in Decalogo sunt, u.g. Præcepta Deum colendi, Parentes honorandi, non iurandi, non fornicandi non mentiendi &c. Et horum transgressio potest interdum uestiri aliqua circumstantia prætensi honesti finis, u.g. mentiri ad saluandam uitam, furari ad dandam eleemosynam, occidere agonizantem, ne diu patiatur, se polluere sanitatis gratia &c. In tertia classe sunt illa quæ ex primis nonnisi longo et difficili discursu deducuntur et ab iis plurimum distant, uti sunt præcepta, quæ prohibent certos contractus, qui uere usurarii, uel simoniaci sunt, sed tales euidenter non apparent sed inter ipsos D.D. controuersia est, an tales sint. Hoc notato.

Resp:

Resp: Probabilius est, quod in homine adulto usum rationis habente non possit dari ignorantia inuincibilis, seu inculpabilis præceptorum primæ aut secundæ classis, bene tamen tertiæ. Ita colligitur ex S. Thoma. Prima et secunda pars intelligitur, etsi transgressio uertatur circumstantiis finis secundum se honesti

Ratio 1. part: Quia ista principia sunt per se nota, non tantum secundum se sed etiam quoad nos, seu sunt coniunctissima lumini naturali intellectus practici sicut illa principia speculatiua u.g. Totum est maius sua parte. Quodlibet est, uel non est, sunt coniunctissima intellectui speculatiuo. Ergo sicut hæc non possunt ignorari ab intellectu speculatiuo, ita nec illa inculpabiliter a practico.

Ratio 2. part: Præcepta secundæ classis licet sint conclusiones ex primis deductæ, deducuntur tamen ex his cum summa facilitate, nemine exterius docente, sed ui solius rationis naturalis. Ergo non possunt inuincibiliter ignorari, nisi pro breui illa mora seu tempore quo illa deductio siue discursus formatur (ut aliqui distinguunt)

que

que distinctio parum aut nihil facit ad praxim.
Declaratur ulterius hec secunda pars ex S. Thoma.
Admisso quod dentur barbare, et inculte gentes, que-
dam precepta secunde classis et Decalogi ignorantes,
sibi persuadentes quod liceat occidere (ut apud Ger-
manos olim latrocinium non reputabatur iniquum, ut
refert S. Thom.) Item quod liceat furari, fornicari,
se polluere; Hec tamen ignorantia est uincibilis et cul-
pabilis. Ergo. Prob: Antec: pro 2ª p: Illa ignorantia
est culpabilis et uincibilis que oritur ex hominis culpa,
non solum originali, sed et personali: Sed dicta igno-
rantia oritur ex propria culpa personali nimirum ex
prauis habitibus consuetudine prauis affectibus concu-
piscentiis et passionibus quas aliqui uoluntarie non repri-
munt et sic illuminationi Diuine, et Legis nature
radiis culpabilem obicem ponunt, ex quo hec ignorantia,
licet non directe et in se, bene tamen indirecte, et in
sua causa (que sunt dicti praui affectus) est uoluntaria.
Declaratur 2. et ostenditur, quod non solum non ponit

dari

16

58.

tari ignorantia inuincibilis actuum Legi naturae repugnantium secundum se, et absolute sumptorum, sed etiam, ut aliqua honesti finis circumstantia uestitorum, ut supra dictum est, et ostensum hanc ignorantiam esse inuincibilem, quia facile potest uinci per illud comune principium, quod cuiuis homini natura insevuit: Non sunt facienda mala ut ueniant bona. Deinde loquendo de speciebus luxuriae mollitie, fornicatione, ipse pudor à natura inditus dictat à similibus esse abstinendum, praesertim inter Christianos et in locis ubi pueri timorate educantur, dictat inquam etiam in istis locis ubi lupanaria impune permittuntur.

Quid ergo faceres, si ad tuum Confessionale ueniret unus simpliciora rudis rusticus saltem sub ueniali se accusans de mille pollutionibus, uti et de fornicationibus quas non censuit esse mortales, ex eo quia uidit meretricium impune grassari?

Resp: Quoad praxim curarem ut repeteret omnes praeteritas Confessiones in eo statu factas difficile enim est iudicare an in talibus ignorantia sit inuincibilis. Declaratur 1.

et

De Lege æterna et naturali.

Et specialiter ostenditur non posse dari ignorantiam inuincibilem huius præcepti: Quod Deus sit colendus. Et quidem ex Psal. 4: Signatum est super nos lumen uultus tui Domine, q[uod] patet Legem naturalem esse omnibus hominibus ingenitam, sed primum et uniuersale fundamentum legis naturæ est hæc ueritas: Extat Deus et est colendus ut supremus, et unicus Iudex malorum uindex, bonorum retributor: nemini enim non dictat natura, mala esse punienda, bona præmianda ab aliquo superiore, et cum non detur processus in infinitum Natura tandem deuenit ad unum supremum. Et hoc etiam apud Gentes inculcat et agrestes. Hinc Atheistæ quia Diuino Soli clare splendenti oculos malitiose claudunt, cum etiam in meridie non uident, non quia non possunt sed quia nolunt: qui uerberibus potius, quam uerbis. igne magis, quam ratione sunt conuincendi.

Ratio 3: part. Illi ~~obseruantia~~ excusantur ab obseruantia legis, quibus lex non est sufficienter intimata,

seu

classis

seu promulgata: sed praecepta tertiae [classis] cum a primis universalissimis principiis plurimum distent et ex iis nonnisi magno labore et discursu cuius homines rudes et simplices, et ignavi sunt incapaces deducantur, et etiam inter ipsos D.D. de iis iurgia sint, non sunt omnibus sufficienter intimata. Ergo in aliquibus hominibus potest dari invincibilis ignorantia eorum, etiam ad longum tempus et forte per totam vitam.

Huius tertiae partis oppositum tenuerunt aliqui antiqui cum nostro D. Alberto Magno quorum tamen sententia potest cum nostra conciliari, distinguendo inter leges, seu praecepta iuris naturae, iuxta praefatas tres classes.

Ex dictis infertur posse a fortiori in quibusdam hominibus dari ignorantiam invincibilem alicuius legis divinae positivae v.g. de receptione Sacramentorum quorundam in tali, vel tali casu. q. Vigandt.

procurare. Ita olim dispensauit cum Iudeis in matrimonio, cum eis permisit dare uxoribus libellum repudii, quo uere soluebatur matrimonium, ita ut utreque coniux quasi liber et solutus posset cum alio aliud coniugium contrahere. Sicut ergo tunc maritus quolibet tempore, imò post primam copulam poterat uxorem repudiare: ita posset et nunc copulari semel cum una ac mox illa dimittere, si Deus pari modo nunc cum illo dispensaret. Osee, inquit D. Thom: accedens ad uxorem fornicariam uel mulierem adulteram, non est mechatus, uel fornicatus: quia accessit ad eam que sua erat secundum mandatum diuinum qui est auctor institutionis matrimonii. Contr.

ad Galat: 2: 19: Ego enim per legem (ostendentem Christum, eoque desinentem et mortuam) legi mortuus sum (id est, legi desii obnoxius esse, ceremoniali quidem absolute et omnino: morali uero et Decalogo non absolute sed quatenus lex illa tantum accusator ac uindex erat scelerum. Per legem ergo legi mortuus sum, quia lex ipsa dictabat moriendum esse legi, uiuendum autem Christo. Ita Aug: Impiè Lutherus inquit in hunc locum. Legi mori nichil aliud est, quam ad legem non esse obligatum, ab eaque liberum esse, siue

ceremonialis

130.

cæremonialis sit, sive moralis; certum enim est Deca=
logum solis Iudæis esse datum, et non nobis. Idem lib:
de libertate Christ: Christiano, inquit, neque opera, neque
lex necessaria est, quia per fidem liber est ab omni lege.
Idem. Oportet, inquit, cor humanum legem Dei atque adeo
Deum ipsum supra modum odisse. Audire hæc qui ab eo,
eiusque asseclis decepti sint, et exhorrescite vocem non
hominis, sed Satanæ: quid enim ipse Dei et hominum iuratus
hostis Deo magis blasphemum et horrendum dicere, ac ho=
minibus in suam perniciem suggerere potest?
Non absimilis est Caluinus, cuius hic est dialogismus. Conscientia
dicente, Peccasti, responde, Imò peccavi; ergo Deus punies,
et condemnabit? Non: at lex hoc dicit: Sed nichil
michi cum lege: quare? Quia libertatem habeo. Hoccine
est purum putum Euangelium. Hoccine sensit, docuitque Paulus.
Legem inquit ad Rom: 3. 31. destruimus per fidem? absit:
sed legem statuimus. Quis, inquit S. Aug:, ita impius est, ut dicat
se propterea præcepta non servare quod Christianus sit non sub
lege sed sub gratia? Quis ergo credat Lutherum et Caluinum
doctores et reformatores Ecclesiæ, qui iugum omne, qui legem omne
non modo humanam, sed et Diuinam ac naturalem, excutiunt,
euertunt, abolent? Cont.

De Lege scripta et naturali.

Exod. 34: 1. Praecide (ait) tibi duas tabulas lapideas instar priorum. Quia novum Testamentum a veteri non discrepat, sed est quasi rota in medio rotae. Et scribam) Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam. Ierem: 31.) super eas verba, quae habuerunt tabulae, quas fregisti. Fractio tabularum, abolitio est caeremoniarum. Has fregit Moyses, id est, Christus quando leprosum tetigit. Luc: 5. Et quando discipuli vellebant spicas in Sabbato. Matth: 12. Et quando praecepit languenti ut tolleret grabatum. Ioan: 5. Aug:

Ecclesiasticus 17: 12: Et mandavit illis unicuique de proximo suo. Nec enim est summa et compendium secundae tabulae Decalogi, nimirum nihil iniuste facere proximo sed ei ius suum tribuere, puta debitum tam iustitiae, quam charitatis. Cornel: De proximo suo diligendo vel corrigendo. Aug:

Ecclesiasticus 32: 19: Qui quaerit legem, replebitur ab ea: et qui insidiose agit, scandalizabitur in ea. q. d. Qui sincere quaerit legem Dei cognoscere, et cognitam opere perficere. hic replebitur eius bonis et fructibus, nimirum Dei favore, ope, gratia, et gloria, adeoque omni bono, iuxta illud Psal: 33: 10: Timete Dominum omnes sancti eius, quoniam non est inopia timentibus eum: divites

·E·N·

egverunt et esurierunt: inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono. Ex adverso qui non sincerè, sed insidiosè, id est, fraudulenter, hypocriticè et simulatè agit qui scilicet coram hominibus simulat se legis divinæ studiosum, cum in corde eam negligat et spernat, à secretò dum à nemine videtur, eam prævaricatur et violat: hic offendet in ea, quia ob hypocrisin et violatam legem acriter à Deo punietur, incideque in damna gravia eam prætereuntia quæ spernat. Sicut ergo Christus Christianis fidelibus est petra refugii et salutis, Judæis verò incredulis est lapis offensionis, et petra scandali: quia ob suam in Christum perfidiam exciderunt Dei gratia et salute, ruuntque in gehennam: sic pariter lex Dei et Christi studiosis et sinceris est causa salutis, omnisque boni: hypocritis verò et prævaricatoribus est causa perditionis, omnisque mali. Psal. c. 19. Qui diligunt Dominum, replebuntur lege eius. Sirach

De Lege aeterna, et naturali.

Homo sensatus credit legi Dei, et lex illi fidelis. — Ecclesiasticus 33: 3:

q. d. Sicut sensatus fidelis est legi Dei, sic vicissim lex ipsi fidelis est, ut ab eo mala avertat, eique bona cuncta accersat. Lex enim iure promittit et reipsa praestat consilium, auxilium, defensionem et praemium. Huic pariter lex fidelis est, quia primo pr[a]elucet ei, ut inter tot errores sciat quid agere debeat, quamque viam capessere, ut in caelum evadat. Secundo eum solatur et roborat. Tertio, ei praemium, scilicet augmentum gratiae, et post hanc vitam felicitatis gloriae impertit. Sicut ergo iustus fidelis est legi per obedientiam, sic lex ei fidelis est per directionem gratiam et gloriam. Corn:

Et dixit Dominus ad Osee: Vade sume tibi uxorem fornicationum et fac filios fornicationis. Id est, sume tibi insignem fornicariam, infamem, publicam meretricem. Errant illi qui censent hoc loco iuberi Prophetae ut fornicetur, ut scilicet accedat ad meretricem, manentem meretricem, ita ut eam — Osee i. 2.

non

12:

non ducat uxorem. Unde colligunt fornicationem esse licitam. Hic enim est error manifestus, fornicatio enim non tantum in novo quam in veteri Testamento iure naturæ et divino fuit prohibita. Iubet ergo Deus Prophetæ, dicens: sume tibi, ergo iubet ut eam matrimonio sibi copulet, non ut cum ea fornicetur, ita passim Patres et Interpretes.
Dices, S. Thom: 1. 2. q. 100: art: 8: ad 3: et 2. 2. q. 154: art: 2 ad 2. Caietanus et nonnulli Tomistæ dicunt Oseæ fornicatum esse, et tamen non peccasse, quia Deus matrimonii rerumque omnium dominus cum eo dispensavit, eique dedit potestatem et ius in corpus meretricis. Atque omnia putant significari per hæc: Sume tibi uxorem, non matrimonii, sed fornicationum.
Resp: disputant Theologi an Deus dispensare possit in lege naturæ, pura in Decalogo: ac varii varie respondent. Primò, Occam, Gerson, et Almainus asserunt Deum in omni omnino præcepto Decalogi et legis naturæ posse dispensare: imò Occam ait, Deum posse præcipere

odium

odium Dei, faceretque ut illud non sit malum sed bonum.
Ratio eorum est: omne peccatum, inquiunt, ideo est
peccatum quia uoluntate Dei prohibitum est. Si ergo
Deus uelit ut aliquid non sit peccatum, hoc ipso non erit peccatum.
Secunda est S. Bonauenturę qui Deum posse dispensare in pręceptis secundę tabulę, non uerò primę,
puta posse in iis quę tangunt proximum, non uero in iis
quę tangunt Deum. Tertia est Durandi Deum
posse dispensare in pręceptis affirmatiuis secundę tabulę,
non uerò in negatiuis.
Verum dico Deum in nullo pręcepto legis naturę directè
et formaliter posse dispensare. Ratio est, quia lex
naturę continet et pręcipit id quod natura sua et
intrinsecè bonum est, quocirca quę contra eam fiunt,
natura sua et intrinsecè mala sunt, non quia uolun-
tate Dei ~~proh~~ prohibita, sed quia suapte natura
contraria et dissentanea sunt naturę et rationi
naturali. Sicut enim res possibiles sunt possibiles,
non quia Deus uoluit eas possibiles, sed quia ex se

non implicat contradictionem ut esse possint: eodem
modo opera contra legem naturę suapte natura sunt mala,
non quia Deus voluit ea ut mala prohibere, sed
quia ex seipsis naturę rationali, ut rationalis est, contra=
ria sunt et repugnantia. Cum ergo Deus non possit
pro voluntate sua mutare naturas rerum non poterit
etiam mutare legem naturę, ut quod illa dictat esse
conveniens rationi esseque bonum, Deus decernat non
esse conveniens esseque malum. Quocirca nullus, ne
Deus quidem facere potest ut odium Dei sit bonum vel
licitum (hoc enim repugnat non tantum rationi et naturę,
sed et ipsi Divinitati) ut furari, mechari, mentiri liceat;
furari enim est accipere rem alienam invito Domino.
mechari est turpiter cum femina non sua, sed aliena;
mentiri est contra mentem loqui et fallere. Hęc autem
intrinsecè et natura sua ita mala et prava sunt, ut
nequeant esse bona et honesta. Quocirca Deus cum
ea non potest suadere, ita nec facere, nec precipere:
multo minus velle et efficere ut sint honesta et licita.
Hinc patet falsam esse primam sententiam, eiusque fundamentum.

B. 7:
27

De Lege ęterna, et naturali.

Non enim ideo fornicatio est mala quia Deus ita uult, eamque odit; sed potius ideo eam odit, quia ipsa in se suaque natura est inhonesta et turpis. Sicut ergo creaturę suam existentiam habent à uoluntate Dei, suam verò possibilitatem habent ab ipsa natura Dei; posito enim quod sit Deus omnipotens, naturaliter sequitur et quasi resultat quod possit creare hominem, equumq; ac consequenter quod illę creaturę sint possibiles quę sine Deo essent impossibiles; ita pariter lex positiua, tam Diuina quam humana, pendet et fit à uoluntate Dei; lex verò naturalis deriuatur à lege ęterna, quę est in mente et ratione Dei. Ita S. Thomas.

Indirecte tamen et materialiter potest Deus in iisdem dispensare, nimirum mutando materiam vel pręceptę, itaque eam subtrahendo legi naturali et obligationi Decalogi. Hoc autem verè fit in pręceptis dumtaxat secundę tabulę, non verò primę, uti dixerunt auctores secundę sententię. Explico. Potest Deus mihi dare ius in bona, corpus, et uitam alterius, et tunc licitè potero

illi eripere bona, quod alias fuisset furtum; uti corpore alterius, quod alias fuisset mœchia; occidere alium, quod alias fuisset homicidium. Sic Deus Exod. 12. 36. iussit Hebræis ut spoliarent Ægyptios. Sic hic dedit Circe ius in corpus fornicariæ, et hoc ipso fecit ut illa esset sua uxor, non aliena. Quocirca utens ea Circe non est fornicatus, sed actu maritali in coniugio illi quasi suæ uxori est copulatus. Sic si Deus alicui præciperet, uel permitteret ire ad lupanar, ibique copulari meretrici semel duntaxat, ad prolem ex ea suscipiendam, illa copula iam non esset fornicatio, sed esset actus coniugii temporarii: copularetur enim non alienæ, sed suæ ac consequenter uxori saltem temporariæ ex dispensatione Dei. Deus enim potest remittere obligationem, qua se uxor marito in coniugio ad perpetuam fidem obligauit, ideoque potest dispensare in matrimonii uinculo, ac facere ut non sit perpetuum, sed temporarium quamdiu scilicet ei libuerit; praesertim quia potest educationem prolis, ob quam matrimonium requirit perpetuitatem, uel negligere tanquam eius dominus, uel aliis modis

an

Cornelia Madre de' Gracchi, mostran:

A me pare, che voi ~~p~~ non attendiate,
come dovete allo studio in questo tem:
po di carnovale; ~~nelle~~ ~~quelle~~ Giovani
forniti di tutte le buone qualità dovre:
bero abborrire questi divertimenti, che
sono avvanzi ~~de'~~ ~~diver~~ del Gentilesimo
Io spero, che dopo le feste del Carnova:
le attenderete maggiormente allo studio

29/1

BIBLIOTHECA SEMINARII CONCORDIENSIS

Decalogus.

BIBLIOTHECA SEMINARII CONCORDIENSIS



8.
e 5: Maii 1723:

In Psalterio decacordo
psallam tibi
Psal: 143: 9:

~~4~~

B.4:

In psalterio decacordo, id est in lege decem
pręceptorum, psallam tibi; quia plenitudo
legis est charitas, qua qui caret, psalte-
rium portare potest, psallere non potest. S. Aug.
Hęc sunt decem pręcepta, quibus, ait S. Augustinus,
quasi decem chordis, decem bestię, id est vitia,
superantur: Tangis primam chordam, id est pri-
mum pręceptum, cadit bestia superstitionis. tangis
secundam, et cadit bestia periurii et nefandarum
heresum. tangis tertiam et cadit bestia amoris
seculi. tangis quartam et cadit bestia impietatis;
tangis quintam, et cadit bestia crudelitatis; tangis
sextam et cadit bestia libidinis; tangis septimam,
et cadit bestia rapacitatis. tangis octauam, et cadit
bestia falsitatis. tangis nonam et cadit bestia adul-
terinę cogitationis; tangis decimam et cadit bestia
cupiditatis. Idem.

Ecclesiasticus c. 19. Qui diligunt eum, Dominum, replebuntur lege ipsius.
Id est, scientia legis. Merito enim dilectionis datur

(35)

Lumen cognitionis. Unde Psal: 110: Intellectus bonus omnibus facientibus eum. Aug.° q. d. timentes Deum copiosa Regis doctrina et cognitione replebuntur, hoc enim significat fructum timoris et amoris. Sic enim solet Deus pietatem hominum erga se remunerare juxta illud Psal: 33: Accedite ad me et illuminamini, id est illuminabimini. O Lux quae semper luces et nunquam offuscaris illumina me. O ignis, qui semper ardes et nunquam extingueris accende me. O amor, qui semper ferves et nunquam tepescis, absorbe me, et transmuta me in te. O clarum lumen oculorum meorum, Jesu, expelle tenebras omnes a domicilio mentis meae, meque totum illustra splendore gratiae tuae. Intra in animam meam ò dulcedo summa ut dulcia sapiat, et in te solo gaudeat atque quiescat. O dilecte mi dilecte notorum meorum concede ut te inveniam inventumque teneam, et brachiis spiritualibus arctissime constringam. Te desidero ad te anhelo ò Beatitudo aeterna. Utinam te mihi dones et me tibi intime unias atque mero divinae charitatis tuae inebries! Amen!

Primum Præceptum.
De Idolatria.

Deut: 5: 7: Non habebis deos alienos ~~[illegible]~~ in conspectu meo Hebr: mecum. Nulli veri sunt dii alieni, sed unus est verus Deus qui cum communis sit omnium, nulli potest esse alienus. Vocantur ergo dii alieni, non quia vere tales sunt sed quod alienigenæ, putantes à Deo vero alienæ ut deos habent et colunt. Vetat ergo ne quis alius habeatur Deus etiamsi is unus sit: præcipit vero ut se solum unumque Deum agnoscant et colant, tum interno mentis sensu et affectu, tum externa adoratione et sacrificio. Corn:

8: Non facies tibi sculptile nec similitudinem omnium, quæ in cælo sunt desuper, et quæ in terra deorsum et quæ versantur in aquis sub terra. Mare enim non est altius ut volunt aliqui Mathematici sed inferius et depressius; unde Psal: 23:: 2 dicitur: Quia ipse super maria fundavit eum scilicet Orbem terræ, terra ergo mari est altior. Corn:

9: Non adorabis ea et non coles. Nota: tria dicit:

Non

Non habebis deos alienos. Non facies sculptile.
Neque similitudinem &c. In primo prohibet omnem
creaturam adorari, ut Angelos, vel homines.
In secundo figmentum. In tertio rei similitudinem. Aug.
Nota 1.mo Sub sculptili intellige et ductile, fusi:
le, tornatileq. Secundo. Pro sculptile Hebr.ti Exod:
20: 4: vertunt idolum. Porrò licet Origenes et
Theodor: strictius hic idolum accipiant, ut sit ef:
figies rei non existentis, quomodo Gentiles sphingas,
Tritones Centauros, aliasque chymeras effingebant:
similitudo vero quae deinceps prohibetur sit rei
existentis expressio, v.g. imago solis, lunae, homi:
num, bestiarum, reptilium. melius tamen secun:
dum comunem eius significationem accipiemus ido:
lum ut sit simulachrum falsi dei et ficti, sive deus
ille sit res aliqua vera et existens, sive non, unde
Nota Tertio. Idolum Graecis erat imago quaedam
inanis, ut v.g. vana phantasmata, spectra, et umbrae
mortuorum. Hinc S. Script: et scriptores Ecclesiastici

nomen

nomen idoli auctrauunt ad imaginem dei, qui
habetur deus, sed verera non est, siue deus ima-
gine repraesentatur, siue ipsa etiam imago ha-
beatur deus. Quare falluntur et fallunt non-
nulli asserentes, idolum apud Scriptores Eccle-
siasticos uocari omne simulacrum, numen ali-
quod repraesentans, quod honore et cultu digna-
mur. Non enim simulacrum quodlibet, uel imago
numinis cuiuslibet est idolum sed tantum ima-
go numinis falsi, ut docent S. Cyprian: Athanas:
Ex dictis patet imperitia haereticorum nostrorum,
dum asserunt omnes omnino imagines hic iure
naturae uetari. Unde Caluinus uidens quod
ab eo ne hoc dicatur, licet tacite omnes imagines
carpat; tamen asseuerat, non omnes, sed Dei tan-
tum imaginem hic uetari: qua in re suffragatur
ei e Catholicis Abulensis, qui censet iure naturae
hic uetari omnem Dei imaginem. Idem asserit Du-
randus, sed ipse eam putat hic uetari, iure non

non naturę, sed positiuo diuino de qua ut dicam infra, ceterum pari modo hoc ut possit, nam p.mo imago ueri Dei non est idolum. Secundò, hic tantum aliorum deorum cultus uetatur, uti patet ex antecedentibus et sequentibus: præcessit enim. Non habebis deos alienos; et sequitur, Non adorabis ea, neque coles: ergo sculptile quod hic fieri uetatur, est sculptile uel imago deorum alienorum: alioqui enim non unum sed duo imò tria diuersa hic ponenda essent præcepta. Unde sculptile explicans Moÿses u. 23: ait: Non facietis deos argenteos atque deos aureos. Sic et Leuit: 19: 4: idola uocat deos conflatiles, uti et alibi sępe. Imago autem Dei non est alius Deus ab eo, neque cultus imaginis cultus est alterius Dei. Cultus enim imaginis iuxta tritum axioma S. Basilii et Damasceni, ad prototypum refertur. Tertio, certum est Deum non uetuisse omne sculptile aut autem sculptoriam, utpote qua ipse exornauit Ooliab et Beseleel, eaque uti

iussit

iussit ad Cherubim effigienda, eademque vi no-
luit Moysen in serpente æneo efformando Num: 21: 8. Si ergo determinatum aliquod
sculptilis genus tantum vetuit unde illa deter-
minatio petatur melius quam ex verbis immedia-
te præcedentibus videlicet ut sic accipiamus: Non
facies tibi sculptile, id est, sculptiles deos alienos.
Quarto Deus imaginem sui corpoream et sensibi-
lem obiecit oculis Abrahe, Isaac, Iacob, Isaiæ,
Ezechielis, Moisis, aliorumque multorum cum eis
apparuit: ergo eam non vetuit, quasi iure natu-
ræ illicitam. Nec dicas Deum in hac sui ima-
gine, lege naturæ vetita secum dispensasse: si
enim eadem prorsus lege et præcepto naturæ
quo vetantur dii alieni vetatur et imago Dei
veri: ergo sicut in illo dispensare nequit Deus, ita
nec in hoc potest.

Respondet Calvinus temporale tantum illud fuisse
symbolum, quod ad legem perpetuam trahi non

debet

20

21.

debet. Sed inane est hoc effugium: lex enim decalogi æterna et perennis est, et scriptum quod vetatur omne accipiendum est, tam temporale, quam perpetuum: alioqui si aliquo tempore detur imago Dei quæ non sit mala, nec vetita; certe imago omnis natura sua, vel iure naturæ vetita dici non debet. Decalogus enim constantia naturæ præcepta continet: ergo sicuti Deus, ne unico quidem momento idola colendi facultatem dare potest, ita nec potest sui imaginem exhibere, si illa æque naturæ, id est Deo, Deique cultui per se repugnat.

Obiicit Calvinus, hoc præcepto concomitanter saltem vetari omnem superstitionem et quidquid Deo aliquo modo est iniurium. Tale autem est velle Deum, qui purissimus est spiritus ad corporalia spectra deducere.

Respondeo indeque formo quintum argumentum: imago Dei non est iniuria neque inhonorifica Deo, ergo iure naturæ non est vetita. Antecedens probo. Primo: quia angelis etiamsi purissimi sint spiritus, nulla fit iniuria, si pingantur: ergo nec fit Deo, si pingantur;

gantur;

pingatur, et ratio est quia homines corporei
non possunt Deum et angelos concipere nisi
per signa corporea. Hinc secundo, idem probo
per simili: Nam S. Scriptura Deo iniuria non est
cum Deus aures nares, oculos, manus, pedes,
aliaque membra attribuit: quin vero non tantum
dignatus est Deus ad humana verba et humanam
imaginationem descendere sed ad ipsam etiam
formam humanam quando verbum caro factum est,
eius figuram admisit. Cur ergo Dei hominis facti
memoriam imagine servare et venerari non li-
ceat? cur virium menti nostrę ad cęlestia tardę,
ex visibili imagine ad invisibilia ascendere non
liceat? non enim deitatem eiusque attributa ima-
gine directe et perfecte expingere sed tantum
aliquatenus adumbrare conamur, ut Deum menti
et memorię obiicere, eiusque conceptum aliquem for-
mare possimus: alioqui enim nulla ratione Deum
concipere possemus, nam, ut ait Aristoteles, nihil

est

est in intellectu quod prius non fuerit in sensu et phantasia. Intellectus enim nichil concipere potest sine phantasmate: phantasma autem est imago vel visę, vel alio sensu perceptę.

Obiicit secundo Calvinus, Isai: 40: 25, de simulacris sive idolis loquens Deus, Cui, inquit, similem me fecistis. ergo Deus imaginem sui fieri vetuit.

Respondeo, verum est, q. d. cur idola cur simulacra falsa fecistis deum verum: cur ea michi adęquastis cur incomunicabile nomen meum eis dedistis cur meam potentiam et opes eis attribuistis: vide Ierem: 10: 6: et Sap: 14: 21: Ex eo enim quod Gentiles et Iudęi simulacra faciebant similia, imo ęqualia Deo vero, hoc ipso etiam faciebant Deum simulacris similem et ęqualem. Simile enim cum sit relativum ęquiparantię, suo simili est simile et contra. Hoc autem magna erat Dei iniuria, scilicet eum ęquare statuis saxeis et ęreis, aut etiam dęmonibus qui in iis colebantur.

De Idolatria.

Quæritur hic ulterius, esto imago Dei, et imago aliarum ~~quarum~~ quarumlibet rerum non uetentur iure naturę an saltem illa Iudęis non uetetur hic lege Dei positiua. Affirmat Gabr: Vasquez, censet enim ipse hoc præceptum uti et quartum de colendo Sabbato, partim esse naturale et perpetuum, scilicet quatenus præcipit cultum unius Dei, et uetat cultum deorum alienorum: partim esse cęremoniale et temporaneum, quod solis Iudęis sit datum nunc uerò cum Iudaismum sit abolitum scilicet Non facies imaginem Dei, uel rei alterius. Unde hoc præceptum: Non facies tibi sculptile etc sic explicat, q. d. Non facietis ó Iudęi, ullam effigiem, talem scilicet quę modo adorationi accomodato sit facta, puta ut per se talem sculpatis uel pingatis quę comodè adorari possit; nam si non per se, sed propter aliud, puta ad aliquid aliud exornandum eam sculpatis id non uetô. Unde Cherubini arcę hic non uetantur: quia non per se, sed propter arcam tegendam et ornandā

facti

86.

facti sunt. Sic et Salomon in templo palmas,
aliaque celauit et sculpsit non per se sed ad orna-
tum templi. Si dicas Moysen Dei iussu fecisse
effigiem serpentis aenei, eamque per se non ad or-
natum erexisse, Respondet Vasquez, Deum ibi
in hac lege sua positiua dispensasse. Huic sen-
tentiae fauet Origen. Tostat. Alexander Alensis,
Alb. Magnus.

Verum uerius est hic non uetari omnes imagines,
sed tantum superstitiosas et idolatricas, ac proin-
de hoc praeceptum per omnia esse naturale uti
et reliqua omnia decalogi, excepto unico sc. tertio,
quod est de Sabbato colendo. Ita docent Damascen.
Ayala. D. Thomas, Durandus, Caietanus, Suarez,
Probatur, Dmo. iisdem rationibus quas paulo ante
contra Abulensem et contra Caluinum attuli, atque
in primis ex eo quod Scriptura sculptile hoc uocarit
idolum, et Scriptura passim sculptilia uocat deos
alienos, uti Isai. 48. 5. Secundo, Salomon rex
piissimus, ex se, sine Dei iussu praeter Cherubim arcae

fecit

fecit Cherubinos maximos, scilicet decem cubitorum, qui extendebant alas suas per totam longitudinem Sanctisanctorum: hę autem statuę per se consistebant ut idola Gentium; ac proinde erant factę modo accomodato ad adorationem qua in re Salomon non peccavit, quia non formavit eos ad adorationem, videlicet ut essent quasi idola: ergo hoc praecepto vetantur tantum idola non autem imagines per se erectę vel adorabiles, id est quę ab aliquo impio commode adorari possent. Tertio, idipsum significat vox tibi cum ait: Non facies tibi sculptile quod scilicet tibi sit instar Dei et idoli. Quarto, aliqui Iudei non potuissent habere sphęras et globos astronomicos: hi enim per se sunt similitudines et repręsentationes cęli orbiumque cęlestium, atque possent adorari, suntque adorabiles ęque ac sol, luna et cęli. Quintum, non potuissent habere domi imagines avorum et proavorum, quod tamen apud Gentes et apud fideles semper fuit solemne, atque magnum incitamentum

uirtutis. Fateor tamen Judæos, non ex obligatione
huius legis, sed ex deuotione et religione ut ma:
gis abessent ab omni specie idoli, et uiolatione legis
huius sponte sua uix usos esse imaginibus et in
templis numquam. Quamquam eo tempore, iure non
positiuo, sed naturali, uetitum fuit Judæis, ne ima:
ginem Dei in templo aut alibi publice toti populo
proponerent, idque ob euidens periculum idolatriæ.
Multi enim ex populo rudes et procliues in idola
illam pro numine coluissent: hoc autem periculum
non erat in priuatis sapientioribus. Vidit enim Mo:
ses, Isaias, et alii Deum in corpore assumpto, quasi
in imagine: cur ergo eam expingere non potuisset?
Dices cap. 4. 15. dicitur: Non uidistis aliquam si:
militudinem in die qua locutus est uobis in Horeb
de medio ignis, ne forte decepti faciatis uobis ali:
quam similitudinem, aut imaginem masculi uel fe:
minæ. q. d. Non apparui uobis in aliqua specie, uel
imagine, ne uos aliquam similem faciatis: ergo abso:
lute omnem imaginem uetat in se, et simpliciter;

ergo finis legis fuerit, ne eam tandem colerent faceruntque idolum. Respondeo, Deus hic proprie non sancit praeceptum de non facienda imagine sed tantum narrat, se Hebreis in Sina non apparuisse per ullam speciem visibilem, ne Hebrei illius imaginem et idolum fabricarent, quod scilicet ipsi colerent et adorarent. Facile enim eveniret ut crassi Iudei videntes hoc Dei ~~simulacrum~~ simulacrum, masculum vel femineum, primo cogitassent Deum esse talem, scilicet masculum vel feminam quem colendo non Deum verum, sed falsum coluissent. Deus enim verus nec est mas vel femina, et vicissim Deus mas vel femina, non est verus deus, sed falsus et fictitius. Deinde sensim mentem et sensum in ipsum simulacrum defixissent ibique haesitassent cogitantes illud esse suum numen, non cogitando illam tantum esse imaginem sui numinis. Substantia ~~enim~~ ergo praecepti est: Non facieris sculptile, id est, idolum. Finis vero praecepti est: Ut non colaris nec adoreris illud. Facere enim

vel

50:

vel habere idolum, ut idolum peccatum est, ergo
illud non colas, nec adores. Duo ergo hoc præcepto
vetantur, primum non facere nec habere sculpti:
le sive idolum quasi idolum: secundum illud non
adorare / nec colere quod fit geniculando et prostev:
nendo se coram illis illaque invocando / nec colere /
per oblationes festa et præsertim per sacrificia. Com.

Primum Decalogi Præceptum.

Ego sum Dominus Deus tuus. Non habebis
Deos alienos coram me, nec facies tibi sculptile,
ut adores illud.

Vigandi, ~~xxxx~~ + Pag.na 155:

Hoc præcepto iubemur Deum diligere et colere, qui
cultus maxime fit per actus virtutum Theologi:
carum quæ sunt Fides, Spes et Charitas et per
actus Religionis, quæ est virtus moralis inter
moralium præstantissima.

Peccatur contra hoc Præceptum.

1.mo Deum super omnia, et ex toto corde non amando,
et res creatas inordinato amore prosequendo.
2. Non sperando in Deum, uti fas est, diffidentiam

admit:

admittendo circa eius bonitatem desperando vel de eius misericordia praesumendo.

3: Debitas gratias pro beneficiis non persolvendo, mandata Dei violando, vel servando ac peccata vitando praecise ex metu gehennae seu timore servili.

4: In Dei servitio, ac sanctorum patronorum veneratione tepidum, inconstantem ac accidiosum se exhibendo vel per excessum sanctos, vel deiparam ut deum adorando

5: Sacramenta indigne, vel sine debita praeparatione suscipiendo negligendo illudendo, spernendo.

6: Beneficia Ecclesiastica pro re temporali vendendo, emendo procurando confidentialiter tenendo: aut quovis alio modo simoniam exercendo.

7: Preces cum culpabili distractione ac irreverentia peragendo: vel divinas aut sacras irreverenter tractando: in loco sacro indevote se habendo obambulando confabulando, videndo, nugas tractando &

8: Adversa animo patienti non tolerando. In adversis contra Deum murmurando, quasi non sit iustus,

clemens, blasphemando.

9: De dono aliquo naturali vel supernaturali super=
biendo, vel illud suis viribus attribuendo de propriis
meritis praesumendo.

10: Idolatriam committendo, v. g. daemonem, Solem, Lunam,
aliamve creaturam ut Deum colendo etiam solo exteriu.

11: In rebus fidei haesitando dubitando vel articulum fi=
dei omnino negando, etiam ex metu aut solo opere
externo. Praesumptuose mysteria fidei scrutando,
aut de iis disputando.

12: Deum tentando à Deo, vel Sanctis miracula expetendo,
aut volendo ut miraculose succurrant cum tamen
sit alia iuuandi uia. Item superstitione aliqua utendo.

13: Seipsum vel alium circumcidendo aut alia caeremonia
Iudaica vel Mahometica fidei nostrae contraria
utendo licet interius eam detestetur.

14: Utendo ope daemonis, veluti spiritus familiaris vel
admoneat, vel prodat, aut renunciet quid ab aliis
vel alibi, v. g. in castris hostium agatur. vel similia
permittendo, non puniendo.

Primum Preceptum.

15: In loco, ubi uestis, uel aliud signum est nostrae Religionis, deferendo uestem quae est signum Iudaei, uel Saraceni.

16: Falsas reliquias pro ueris colendas proponendo, uel fictas diuinas imagines offerendo, ut alios ad idem alliciat, siue deuotionem per hoc augere intendat.

17: Daemones uel magos consilii uel auxilii causa corde, ore, opere, uel pacto inuocando aut adiuuando. Necromanciam uel aliquam artem magicam discendo uel discere uolendo. Libros de hoc tractantes non comburendo.

18: Ope daemonis, uel maleficiorum thesaurum inuestigando, uel proximo damnum inferendo per aliquas inuocationes tacitas aut expressas uel incantationes. Incantationem incantatione, maleficium maleficio dissoluendo uel alium, etiam ad id paratum inducendo ad illud.

19: Diuinationes interrogando ratione alicuius secreti, u.g. furti, uel tentando id cognoscere sortibus, aleis,

chartis

29: Non conando scire ea, quae scire vel explicite cre-
dere est de necessitate salutis. Vel filios aut subdi-
tos suos ad ea discenda non compellendo, supersti-
tiosa eos docendo.

Haec sunt potissima peccata contra primum Decalogi
Praeceptum, quae tamen omnia non semper sunt
mortalia et vitanda.

Solet quaeri sub quo decem praeceptorum comprehenda-
tur illud praeceptum: Diliges Dominum Deum tuum, et
hoc enim est summum et primum praeceptum ut dicit
Dominus Matth: 22. Similiter quaeritur de praecepto
fidei et spei. Solutio. Dicimus quod praecepta fidei,
et spei, et Charitatis continentur sub primo mandato:
ibi enim praecipitur facta quae his tribus virtutibus
adimplentur: Unde cum dicitur: Non habebis deos alie-
nos coram me, sensus est: Me solum adorabis ut Deum,
id est, in me solum credes, tanquam in summam veritu-
tem: Me solum diliges prae omnibus, tanquam summam
bonitatem. In me solum sperabis tanquam summe libe-
ralem. Unde quod dixerat Moyses hic implicite,

expli-

Primum Præceptum.

Explicavit Deut: 6: quando dixit: Diliges Dominum Deum tuum &c. S. Hugo Exod: 20:

Deut: 6: 5: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua et ex tota fortitudine tua. S. Aug: Cum ait, dilige ex toto corde, ex tota anima, et ex tota mente nullam vitæ nostræ partem relinquit quæ vacare debeat, et quasi locum dare, ut alia re velit frui, sed quidquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur quo totius dilectionis impetus currit. Si enim proximum diligens sicut seipsum, totam dilectionem sui et illius refert in illam dilectionem Dei quæ nullum à se rivulum duci extra se patitur, cuius derivatione minuatur. S. Bern: Michi, inquit videtur amor cordis ad zelum pertinere affectionis; animæ vero amor ad industriam, seu iudicium rationis; virtutis verò dilectio ad animi posse referri constantiam vel vigorem quasi dicat: Dilige Dominum Deum tuum ex toto cordis affectu: dilige tota rationis vigilantia et circumspectione: dilige et tota virtute, ut nec mori pro eius amore pertimescas. Fortis enim est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio. Com: Secundum hanc expositionem Augustini (cum ait &c sup) non potest impleri hoc præceptum in via quia ex parte diligimus, sicut ex parte cognoscimus. 1. Cor. 13. Unde dicit idem Aug: Cum adhuc inest aliquid carnalis concupiscentiæ, quod vel continendo frenetur, non omnino ex tota anima diligitur Deus. Non enim

caro

caro concupiscit, sed dicitur concupiscere, quia anima carnaliter concupiscit. In patria autem quia nulla lex erit in membris, quę repugnet legi mentis, diligitur Deus ex toto corde, tota anima, tota mente. Debuit autem homini ita perfectio pręcipi, quamuis in hac uita non possit impleri. Non enim recte curritur, si quo currendum est, nesciatur. Curramus ergo sperando, credendo, desiderando, ut currentes adiuuemur ut pręcepta perfectionis audiamus et faciamus. Aug. Hoc pręcepto (quod licet non simpliciter in hac uita potest impleri) exigitur ab homine totus et summus Dei amor, non extensiue, aut intensiue, sed tantum comparatiue, finaliter, et appretiatiue. Primò, comparatiue, ut scilicet ita totum cor et affectus det Deo, ut nullam eius partem det dęmoni aut peccato. Secundò, finaliter, ut in genere Deum habeat quasi finem omnium suarum actionum, eumque ut summum bonum, et finem ultimum rebus omnibus pręferat, ut malit omnes res perdere quin et uitam suam quam Deum Deique gratiam. Tertiò, appretiatiue, ut applicet totum cor, id est, uoluntatem suam ad eius legi per omnia obediendum, ut sanctę eius uoluntati se per omnia conformet, ac proinde diligat eum pleno amore non tantum concupiscentię, sed et amicitię. Boun.

Sap. 14: 12: Initium enim fornicationis est exquisitio idolorum: et adin-
ventio illorum corruptio vitæ est. Quasi dicat, idolatria
causa est et radix omnis malitiæ, et corruptionis. Aug.
Postea subdit unde processerunt idola primò, et causam
inventionis, dicens
15: Acerbo enim luctu dolens pater citò sibi rapti filii fecit
imaginem: et illum qui tunc quasi homo mortuus fuerat,
nunc tanquam deum colere cepit, et constituit inter
servos suos sacra, incensum, et sacrificia. Id est, oblationes,
vel victimas animalium. q. d. Pater dolens de morte
filii imaginem eius fecit ad consolationem sui, sed hanc
imaginem postea quasi deum homines coluerunt.
16: Deinde interveniente tempore, convalescente iniqua consuetu-
dine (sacrificandi) hic error tanquam lex custoditus est,
et tyrannorum imperio colebantur figmenta. Id est, idola sacra.
17: Et hos, quos in palam (id est, præsentes) homines honorare
non poterant, propter hoc quod longè essent, è longinquo
figura eorum allata evidentem imaginem regis quem hono-
rare volebant, fecerunt: ut illum, qui aberat tanquam
præsentem colerent sua sollicitudine. Id est, diligenter. Aug.

18.

18: Provexit autem ad horum culturam / id est induxit et incitavit ad idolorum culturam dilatandam / et hos qui ignorabant / huiusmodi culturam / artificis eximia diligentia. Qui tantę pulchritudinis faciebat imagines idolorum, quod simplices qui prius ignorabant idolatriam, aliquid numinis credebant inesse in eis et ideò adorabant ea.

19: Ille enim / artifex scilicet / volens placere ei qui se assumpsit / id est, qui eum elegit artificem suę imaginis / elaboravit arte sua ut similitudinem in melius ~~elaboraret~~ figuraret. Ut scilicet bene et omnino exprimeret formam illius, cuius imago fiebat.

20: Multitudo autem hominum abducta / id est, seducta / per speciem operis, eum qui ante tempus / id est, parvo tempore / tanquam homo honoratus fuerat, nunc deum ęstimaverunt.

21: Et hęc fuit vitę humanę deceptio: / id est, causa deceptionis / quoniam aut affectui aut regibus deservientes homines incomunicabile nomen / id est, hoc nomen deus quod est incomunicabile, quia uni soli convenit / lapidibus et lignis imposuerunt.

22: Et non suffecerat errasse eos circa dei scientiam, sed et in magno viventes inscientię bello, tot et tam magna mala pacem appellant. q. d. Non sufficit eis ita errasse circa fidem, sed cum isto

errore se omnibus uitiis subdiderunt, et cum in multis malis
uixerint, dicebant se pacem habere.

23: Aut enim filios suos sacrificantes / sicut in sacrificiis Saturni, qui
propter odium Iouis filii sui omnes praeceperat imolari /
aut obscura sacrificia facientes / id est, nocturna accensis facibus,
sicut in sacrificiis Cereris et Proserpinę faciebant. / aut insanię
plenas uigilias habentes / ut in sacrificiis Bachi et Cybellis
in quorum festiuitate dii congregari totam noctem lusibus
et luxibus uacantes, tympana insaniendo tangebant.

24: Neque enim uitam, neque nuptias mundas iam custodiunt, sed
alius alium per inuidiam occidit, aut adulterans / uxorem
eius / contristat. q.d. Iura corrumpunt, uitam exter:
minant occidendo et nuptias adulterando maculant, quia sic
diis sui placere putant.

25: Et omnia commixta sunt / id est, confusa, quia nulla ratio, nulla ordi:
natio ubi non est religio. Quę autem sint illa commixta enumerat.
Sanguis, homicidium, furtum et fictio, corruptio et infidelitas,
turbatio, et periurium, tumultus. ~~26:~~ Bonorum / 26 / Dei
immemoratio / animarum inquinatio / in castrimargię, et luxurię
operatione / natiuitatis immutatio / in uiris contra naturam perpetratione /

nuptiarum

64

62:

nuptiarum inconstantia, in uxorum illicita permutatione.

inordinatio mechiæ, et impudicitiæ.

27: Infandorum enim idolorum cultura, omnis mali causa est, et initium et finis. Quia cum mens à suo Creatore avertitur per infidelitatem, prope est, ut omnibus sceleribus implicetur. Aug.

Conc.: Quaeris est hic et obscura quaestio de origine idolorum et idolatriæ. Pro cuius resolutione, suppono idolatriam posse esse sine idolis, imò fuisse ante idola, scilicet cum dii sine simulacris aut solis templis aut ædibus sacris colerentur, ut docet Perertl.

Dico ergo Pro.mo Idolatria videtur statim cepisse à diluvio non tamen idola. Probatur po: quia Nemrod filius Chus filii Cham, filii Noe | Gen: 10: superba tyrannide populum sollicitavit, ut à Deo deficeret ad sr. ita Joseph., S. Aug. et alii consentiunt eum auctorem fuisse et præfectum ædificandæ turris Babel contra Deum, unde ipse cum suis punitus est, quando solus Heber tunc cum suis, quasi Dei populus pristinam linguam, puta Hebræam, æque ac fidem et pietatem retinuit: Nemrod verò cum reliquis sibi obsequentibus utraque fuit spoliatus. Addit Hugo de S. Victore

Idolatria.

De Idolatria.

63.

Nemrod homines ad idolatriam induxisse, ut ignem quasi Deum colerent, quem errorem postea Chaldei sunt secuti. Unde Abraham liberatus dicitur de Ur, id est, de igne Chaldeorum, 2. Esd. 9. 7. Secundò, quia Cham filius Noe homo pessimus artis Magicę fuit auctor (Magi autem dęmonem colunt) unde Berosus docet eum inde Zoroastrem dictum, eiusque pestifera dogmata secutos Ęgyptios, qui illum sibi fecerunt inter deos Saturnum adolescentiorem. Dico secundò: Ninus primus Rex Assyriorum, primus patrem idolum celebre Beli patris sui mortui, qui aut Nemrod fuit, aut eius successor, publica regis auctoritate sub annum 300: post diluuium proposuit, indeque prisca idola dicta sunt Bel, Baal, Baalim, Belias, Beelphegor, Beelzebub et plurima talia: significat autem Bel Dominum Hebr.: quemodo nos Deum vocamus Dominum Antonomatice. Ante hoc Nini idolum tamen (quod fuit celebre et uniuersale) fuerunt alia priuata, imò et publica, sed non tam uniuersalia, quam Nini Pater, nam Ninus fuit coęuus Abrahę; qui natus est anno 43: Nini. Pater autem ante 3°.

Abraham

Abraham fuisse idola, quia Thare pater eius et reliqui Chaldei erant idolatræ, ut habet comunis Hebræorum traditio et patet Josu: ult. c: Aiunt autem Epiphanius et alii docent idolatriam in cultu imaginum sive picturarum cepisse à Sarug, qui avus fuit Thare et septimus à Noe. A Sarug ergo videtur cepisse idolatria imaginum, non tamen statuarum.

Dico 7°: causa et initium idolorum fuit fabrica imaginum defunctorum. Fecerunt enim idola ut filiorum, aut maiorum, aut regum, aut inventorum artium aut beneficorum aut amicorum memoria servaretur. Tales ergo homines defuncti habiti sunt dii, cum ipsi quasi in cælum recepti colerentur, pro quibus deinde se in terris dæmonia colenda supposuerunt et sibi sacrificari à deceptis et perditis hominibus flagitarunt, inquit Aug. Hoc, inquit Cyprian. ita esse, Alexander Magnus insigni volumine ad matrem suam scribit, metu suæ potestatis sibi proditum de diis hominibus à sacerdote secretum, quod maiorum et regum memoria servata sit, inde colendi et sacrificandi ritus inolevit. Hinc et à sepulchris regum et clarorum

uiuorum templorum originem deducit, Clemens Alexand:
Superstitio, inquit, templa condere persuasit: quæ enim
prius hominum sepulchra fuerant, magnificentius condita
templorum appellatione uocata sunt. Hac de causa S.
Aug. docet Serapidis simulacrum, digito ad os admoto, in-
dicare solitum, ut tacerent Serapidem fuisse hominem,
imò et pœnam mortis constitutam iis, qui Serapidem
hominem fuisse dicerent, cum tamen uere hominem fuisse
constaret. Neque aliud uult hic Sapiens. Tantum enim
uult dicere, ex nimio affectu et dolore suorum initium
sumpsisse idolatriam, quod apud uarias gentes diuersimode
factum: apud quosdam patre extruente imaginem filii,
apud alios filio patris, apud alios marito uxoris, apud
alios defunctis, ut insinuat u. 21. Idolum ergo finxit
defunctorum amor, et ambitio; prouexit adulatio et metus
principum; firmauit fraus dæmonum splendor idolorum,
tot seculorum error et usus. ~~Denique~~ S. Thomas hoc
capite colligit quatuor causas et origines idolatriæ ~~quas~~
~~supra exposui, scilicet~~. Prima nimius amor uel timor. Homines

enim nimiè filium, patrem, aut principem amantes, vel
nimis honorantes honorem diuinum ei impenderunt.
Secunda fuit pulchritudo imaginis, qua naturaliter delectan-
tur et capiuntur homines. Tertia, fuit ignoratio Dei,
quia enim Deum alium non inueniebant hinc creaturis di-
uinitatem attribuebant. Quarta, fuit fraus demonum,
qui in idolis coli cupientes per ea dabant responsa, vel
mira quędam patrabant. Corn.

Osee 4: 11: Fornicatio et uinum, et ebrietas aufeerunt cor. Notat
originem idolatrię fuisse comessationes et compota-
tiones: hę enim eripiunt mentem et iudicium recte
rationis, simulque libidinem inflamant itaque ho-
minem precipitant in fornicationem, aliaque scelera,
ac tandem in infidelitatem et idolatriam: eius enim
deus est uenter. Corn.

Ad Rom: 1: 21: Cum cognouissent Deum (ratione naturali, per creaturas scilicet)
non sicut Deum glorificauerunt (aut gratias egerunt) de cogni-
tione naturali à Deo sibi data (sed euanuerunt in cogita-
tionibus suis (superbientes de ipsa) et obscuratum est insipiens
cor eorum (iusto Dei iudicio, propter superbiam eorum) (22)
Dicentes enim se esse sapientes (in temporalibus) stulti facti

De Idolatria.

sunt. (In spiritualibus) (23) Et mutaverunt gloriam, id est honorem soli Deo debitum, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, quia cultum latriae soli Deo debitum exhibuerunt Iovi, Herculi, qui fuerunt homines corruptibiles, et volucrum, quia aliqui adoraverunt talpas et vespertiliones, et quadrupedum, sicut Egyptii, qui colebant bovem, et serpentum, sicut Babylonii, qui colebant draconem. Etc. Nota. Multi gentiles putabant ipsa idola lignea lapideaque esse Deos: aliqui sapientiores, uti Philosophi, sciebant ipsa idola non esse deos, et tantum in idolis ipsis Deos repraesentari: verumtamen omnes tam hi, quam illi, non Deum verum in idolo quasi in imagine, ut nunc Catholici, sed ipsa idola, uti Deum vel Numen aliquod adorarunt. Excipe tamen paucos ex ipsis sapientissimos qui idola colebant non ex animo, sed metu legum suarum, et ut populum metu deorum in officio continerent, uti testatur Cicero. Peccarunt ergo primo, quia daemonem quasi animam idoli pro Deo coluerunt, eumque ex falsis oraculis, malis consiliis, et sua propria confessione, aliisque circumstantiis, non Deum, sed daemonem esse cognoscere potuerunt, et debuerunt. Secundo, peccaverunt quia ipsa idola quasi

aliquid

enim nimiè filium, patrem, aut principem amantes, vel
nimis honorantes honorem diuinum ei impenderunt.
Secunda fuit pulchritudo imaginis, qua naturaliter delectan=
tur et capiuntur homines. Tertia, fuit ignoratio Dei
quia enim Deum alium non inueniebant hinc creaturis di=
uinitatem attribuebant. Quarta, fuit fraus dæmonum,
qui in idolis coli cupientes per ea dabant responsa, vel
mira quædam patrabant. Corn.

Osee 4: 11: Fornicatio et uinum, et ebrietas auferunt cor. Notat
originem idolatriæ fuisse comessationes et compota=
tiones: hæ enim eripiunt mentem et iudicium rectæ
rationis, simulque libidinem inflamant itaque ho=
minem præcipitant in fornicationem, aliaque scelera,
ac tandem in infidelitatem et idolatriam: eius enim
deus est uenter. Corn.

Ad Rom: 1: 21: Cum cognouissent Deum / ratione naturali, per creaturas scilicet /
non sicut Deum glorificauerunt / aut gratias egerunt / de cogni=
tione naturali à Deo sibi data / sed euanuerunt in cogita=
tionibus suis / superbientes de ipsa / et obscuratum est insipiens
cor eorum / iusto Dei iudicio, propter superbiam eorum / 22 /
Dicentes enim se esse sapientes / in temporalibus / stulti facti

De Idolatria.

sunt. In spiritualibus. 23. Et mutaverunt gloriam, id est
honorem soli Deo debitum, in similitudinem imaginis
corruptibilis hominis. Quia cultum latriae soli Deo de-
bitum exhibuerunt Jovi, Herculi, qui fuerunt homines
corruptibiles, et volucrum, quia aliqui adoraverunt
talpas et vespertiliones, et quadrupedum, sicut Egyptii,
qui colebant bovem, et serpentum, sicut Babylonii,
qui colebant draconem. Hug. Nota. Multi Gentiles
putabant ipsa idola lignea lapideaque esse deos: aliqui
sapientiores, uti Philosophi, sciebant ipsa idola non esse
deos, et tantum in idolis ipsis deos repraesentari:
verumtamen omnes tam hi, quam illi, non Deum
verum in idolo quasi in imagine, ut vult Calvinus;
sed ipsa idola, uti Deum vel Numen aliquod adorarunt.
Excipe tamen paucos ex ipsis sapientissimos, qui idola
colebant non ex animo, sed metu legum suarum, et ut
populum metu deorum in officio continerent, uti testatur Greg.
Peccarunt ergo primo, quia daemonem quasi animam idoli
pro Deo coluerunt, eumque ex falsis oraculis, malis con-
siliis, et sua propria confessione, aliisque circumstantiis,
non Deum, sed daemonem esse cognoscere potuerunt, et
debuerunt. Secundo, peccaverunt, quia ipsa idola quasi

aliquid

aliquid esset Dei adorauerunt, placarunt, inuocarunt:
hoc enim, quidquid neget Caluinus clarissimum est ex Psalmo
113: Baruch 6: et Sap: 14. Idem expresse docent Patres,
qui passim vident Gentiles quod lapides et ligna pro
diis colant, uti etiamnum faciunt Indi et Japones.
Nil ergo idolo cum imagine Christianorum quę nichil
habet numinis, sed nudam rationem imaginis quę est
repręsentare suum prototypon ut docet S. Basil: et Damas: Conc:
24: Propter quod tradidit illos Deus (non subtrahendo gratiam
tradi permisit. Ecce uindicta. Alom: (Hinc docent Theologi
pecata sequentia precedentium peccatorum esse penas Conc:)
in desideria cordis eorum (ad concupiscendum totaliter propriam
concupiscentiam) et in immunditiam (scilicet usque in im-
munditias maxima) ut contumeliis) id est, ignominia) af-
ficiant corpora sua in semetipsis (In hoc enim ualde uilipen-
ditur natura. Ego:
26: Propterea (quia ita peccauerunt in naturam Creantem) tradidit.)
tradi permisit) illos Deus in passiones ignominię (Prius in
ardorem libidinis quę est passio naturę, nec nominanda:
post in actum. Calos: Nam feminę eorum immutauerunt
naturalem usum (viri legitimi) in eum usum qui est contra
naturam) inter se agentes. Alom: Ego: (27) Similiter

autem et masculi, relicto naturali usu feminę exarse=
runt in desideriis suis in invicem, masculi in masculos
turpitudinem operantes, et mercedem (punitionem)
quam oportuit (decuit) erroris sui in semetipsis re=
cipientes. Hugo. Ut quia contra naturę ordinem cum
ignominia Creatoris eo relicto ad creaturę idolatriam
se converterunt; hac de causa juste à Deo permissi
sunt naturę ordinem pariter in actu generationis
invertere et pudenda libidine se dedecorare, ait Anselmus.
Philosophos ipsos impurissimos, et spurcissimos fuisse
audi ex uno Diogene Laertio, seriatim hac de re singu=
lorum emblemata, quę verissimam esse hanc Pauli sen=
tentiam probant.
Periander, inquit, Parca propria matre abusus est.
Socrates Alcibiadi in deliciis fuit.
Phędon captus ab hostibus infami se quęstui addixit.
Menedemus notatur nimium familiaris fuisse amasio Asclepiadis.
Aristippus ait Platonem captum fuisse amore Stellę Astro=
logi et Dionis: plura alia de eo habet Laertius.
Bion Borysthenites Theodori et Phileri, scortis, palam
congrediebatur: item adolescentes plurimos turpiter
adamavit. Unde ab Aristone Chio, Corruptor juvenum
dictus est. Idem adoptabat juvenes, ut eis abuteretur.

Aristo=

Aristoteles Hermiæ concubinam amavit, eique sacrificavit.

Demetrius Phalereus qui 360: statuis æreis honoratus est, à Cleone meretrice est perpessus.

Antisthenes dicebat, sapientem formosissimis quibusque mulieribus congressurum.

Diogenes dicebat comunes esse debere mulieres, et filios.

Zeno uxores comunes in resp. statuebat.

Chrysippus in libro de Repub: congredi iubet matribus filiabus et filiis

Eudoxius fuit in delicijs Theomedonti medico.

Epicurus Leontiam et Themistiam meretrices, et Pythoclem formosum adolescentem in delitiis habebat.

Eant nunc politici et naturalistæ novi, Philosophos hosce ut viros probos prædicent, eosque ut sanctos et beatos canonizent, quos infandæ veneris mancipia Asmodeus auctoravit Orcoque addixit. Corn.

Isai: 40: 18: Cui ergo similem fecistis Deum? Nota. Gentes fabricando idola et colendo simulacra Jovis, Apollinis, Mercurii & lapidea et lignea colebant idola, non Deum: dicuntur tamen Deum iis similem fecisse, quia ea adæquabant Deo, Deumque aliud

non colebant quam hæc simulacra, ac consequenter Deum et deitatem transferebant in simulacra quasi Deus iis similis esset, haberetque simile corpus, imò corpus simulacri esset corpus Dei. Quæ sane gravis est iniuria Dei, quod scilicet simulacra Deo æquarent, ac consequenter Deum similem, imò æqualem facerent simulacris. Rom: 1. 23: Mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominum, et volucrum. Quod explicans subdit: Qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium, et coluerunt et servierunt creaturæ potius quam Creatori. Vides hic similitudinem hanc, vel assimilationem simulacrorum non esse aliud, quam quod cultum Creatoris transtulerint in creaturas, id est simulacra et incommunicabile nomen (Dei) lapidibus et lignis imposuerint, ut ait Sapiens Sap: 14. 21:

Sensus ergo est, q. d. Cum omnes Gentes Deo comparatę sint quasi gutta, imò nichilum et inane: qua temeritate, impietate à sacrilegio uos, ò Gentiles, Iouem Iouisque idolum comparatis et ęquatis Deo? Perfide ergo hoc loco abusus est Leo Armenius Imp: iconoclaustra, qui socium in scelere habuit Theodorum, quem amoto Nicephoro sede Constantinopolitana donauerat. Hic Theodorus grassabatur in sanctas imagines, cumque aliquando hęc Isaię uerba in Ecclesia recitarentur: Cui assimilastis Dominum? num imaginem eius fecit faber, aut aurifex similitudinem parauit? accessit propius atque Imperatori in aurem insusurrauit: Audi Prophetam Domini, eique obtempera. Tum verò Leo suam iconomachiam maiore insania profudit, et furere cępit contra imaginum Deique cultores. Perfide, inquam,

nam imagines Christianorum, non sunt imagi:
nes, id est, idola Gentilium, contra quas hic
detonat Propheta, nec coluntur ut dii nec à
fidelibus æquantur Deo, ut Deus iniuriam sibi
fieri sentiat, quod imaginibus assimilentur, com:
parentur et æquentur. Nemo enim fidelium tam
simplex aut stolidus est, qui imagines colat ut
Deos, uti fecerunt Gentiles. Porrò Deum has
imagines etiam sui ipsius, hic non carpere pa:
tet ex eo, quod ipse hanc imaginem assumpse:
rit, in eaque apparuerit, et hominibus se ui:
dendum exhibuerit: non tantum cum Verbum
Caro factum est, sed etiam cum Patriarchis et
Prophetis suam imaginem obiecit, et ueneran:
dam proposuit uti fecit Mosi ei apparens in
corpore assumpto Exod: 33: 34: et Isaiæ cap: 6: 1: 2
Si ergo Deus sui imaginem nobis exhibuit cur
eam simili imagine exprimere non liceat. Contr:
Psal: 113: 4: Simulacra Gentium argentum et aurum, in materia s:

In forma vero sunt (opera manuum hominum
Hoc addidit quia similitudo formę ab ho:
minibus facta magis trahit hominem ua:
nitatem, quam à Deo facta pretiosa ma:
teria. Isai: 46: Qui confertis aurum
de sacculo et argentum statere ponderatis,
conducentes aurifices ut faciant Deum. No:
tandum tamen hic, quod cum Gentes ha:
beant simulacra ęrea, et lignea et fictilia,
hęc pretiosiora ideò ponit ut qui in his
erubescit, facilius erubescat in cęteris. De:
nique formam membrorum carentem eo:
rum officiis exequitur, dicens (5) Os ha:
bent, et non loquentur (quod proprium est
hominis, qui etiam ex eo quod fabricauit
illud simulacrum, melior est) oculos ha:
bent, et non uidebunt (6) Aures habent, et
non audient: nares habent, et non odorabunt)

→| Manus habent et non palpabunt: pedes habent, et non ambulabunt: non clamabunt in gutture suo. Hæc omnia comunia sunt hominibus cum bestiis: nam et simiæ manibus contrectant. Seu quæ patet non solum homines, sed et bestias anteponendas esse simulacris. Nisi enim eis bestias anteponenda esse intelligeret, nequaquam post enumerationem membrorum et officiorum declaratione supponeret, quia iam de locutione præmiserat, dicens: Os habent, homines illis præposuit, ubi vero post omnia addidit: Non clamabunt, quod saltem bestiarum est, bestias etiam prætulit, et in aliis quæ habent comuniter cum hominibus innuit præferendas. Et sic probatur, simulacra gentium esse inutilia. Augi:

De Atheismo,
Et Infidelitate.

79

79

79

BIBLIOTHECA SEMINARII CONCORDIENSIS

80

180.

De Atheismo, et Infidelitate.

arguendo
Fact:
Sam:

Quid et quotuplex est infidelitas? Estne peccatum?
Resp: Infidelitas est carentia Fidei, et est triplex. Negativa, privativa, contraria. Prima non est peccatum, bene tamen secunda et tertia. Declaratur ex S. Thoma. Infidelitas negativa est nuda carentia Fidei seu pura negatio in eo, qui nihil audivit de Fide vel audivit ita obiter ut mysteria Fidei non sint ei ostensa evidenter credibilia et hec non est peccatum, sed est pena peccati Originalis, defectu voluntarii personalis. nec propter eam homo damnatur, sed propter peccatum Originale et alia peccata que sine Fide remitti non possunt. Infidelitas privativa est carentia Fidei in eo qui potuit et debuit credere, sed non voluit Fide sufficienter sibi proposita: licet in intellectu nullum positivum errorem habeat. Infidelitas contraria est carentia Fidei in eo, cui etsi Fides sufficienter sit proposita, non tamen vult credere, sed vel expresse, vel formaliter aliquam Fidei veritatem negat vel asserit errorem ei contrarium. Utraque hec infidelitas

est

8a.

est peccatum mortale. Ratio est: Quia omnis homo Fidem, extra quam non est salus, sufficienter sibi propositam sub mortali tenetur acceptare.

Infideles et Haeretici quomodo tenentur inquirere de vera Fide.

Resp: 1. Infideles qui aliquid audierunt de Fide Christiana per famam, rumorem, vel per aliquem praedicatorem, non tamen exactam et sufficientem, uti sit inter Turcas, et similes Barbaros, tenentur sub gravi praecepto, adhibere sufficientem diligentiam, ut mediante aliquo Doctore veniant ad sufficientem Fidei cognitionem. Si sufficiente diligentia adhibita adhuc non habeant sufficientem Fidei cognitionem, excusantur à peccato infidelitatis. Idem proportionabiliter intelligo de haereticis horum temporum comparative ad Fidem Romano-Catholicam qui tamen utpote nobis viciniores difficilius excusantur. Ratio est: Quia licet imperfecta propositio non fuerit sufficiens ad convincendum, fuit tamen sufficiens ad rationabiliter

dubi-

dubitandum; et ad mouendum ut repellatur ignorantia:
sed nemini licet manere in tam graui dubio practico. Ergo
Resp: 1: Infidelis non tenetur universaliter praebere au:
ditum cuiuis homini eum de alia Religione erudire
uolenti. Ratio est: Quia infidelis non habet aliud
lumen quam naturale: sed hoc non dictat quemuis
hominem in materia Religionis esse audiendum,
quia alias aeque esset audiendus Iudaeus, aut Lutheranus. Ergo.
Resp: 2: Licet Infidelis Euangelium explicitè audiat ab
aliquo Praedicatore verè Christiano, non statim ~~non~~
credendo non committit peccatum Infidelitatis, nisi praedi:
cator edat testimonia ad credibilitatem conuincen:
dum sufficientia. Prima pars patet ex illo Eccles:
19: Qui cito credit, leuis est corde. 2. pars constat
ex eo, quia in re tanti momenti, uti est cultus ueri Dei,
tenetur homo sequi dogma omnium probabilissimum,
alias amabit periculum et peribit in illo. In etiam eo
casu non deerit auxilium credendi supernaturale suf-
ficiens.

Etne

Estne quælibet actio hominis infidelis peccatum?

Resp: Negative cum S. Thoma: Ratio eius est: Quia peccatum mortale tollit quidem gratiam gratum facientem, non tamen totaliter corrumpit bonum naturæ: Sed infidelitas /in sensu ad q. 1. dato/ est peccatum mortale. Ergo ratione eius infideles quidem carent gratia sanctificante et non possunt facere opera meritoria vitæ æternæ, cum hæc debeant dirigi fide infusa, manet tamen in eis aliquod bonum naturæ, et lumen rationis naturalis. Ergo possunt facere opera bona naturaliter moraliter bona, v.g. dare eleemosynam, solvere debita &c. Ergo non peccant in quavis actione.

Quot et quæ sunt species infidelitatis?

Resp: cum S. Thoma. Secundum comparationem ad Fidem tres sunt species infidelitatis, scilicet Paganismus, Judaismus, et Hæresis: ad eas cæteræ omnes reducuntur. Ratio S. D.ris est: Cum peccatum infidelitatis consistat in renitendo Fidei, hoc potest contingere dupliciter. Quia aut renititur Fidei nondum susceptæ, et talis infidelitas est

Paga-

De Atheismo

6

Paganorum, seu Gentilium: aut veritatem Fidei Christianę suscepit, vel in figura, et sic est infidelitas Iudęorum; vel explicite, seu in ipsa manifestatione veritatis, et sic est infidelitas Hęreticorum. Ergo.

Dixi secundum comparationem ad fidem. Nam si species infidelitatis distinguantur secundum errorem in diversis quę ad fidem pertinent, ait S. D.r tunc non sunt determinatę species infidelitatis, possunt enim errores in infinitum multiplicari.

Species quę pręter prędictas possunt assignari sunt. P.mo Atheismus negans omnem Deum, verum hic reducitur ad Paganismum, ut species materialis, quia Paganismus aliquando est cum, aliquando sine cognitione veri Dei. Si sine, tunc est Atheismus. Secundo dabitur Antichristianismus, qui Christum negabit et omnibus sectis, ideoque etiam Paganismo et Iudaismo adversabitur, proinde non videtur ad eos posse reduci. Sed (dico) reducendum ad Iudaismum, quia Antichristus erit de sanguine Iudęorum nimirum ex Tribu Dan, ideoque veniet

Itera:

88

testamentum admiserunt, factas in eo promissiones de Mes-
sia in se completas esse contendet. Nec persequitur omnes
sectas, sed tantum eas, quæ omnino non conveniunt cum ipso.
Tertio Mahometismus quo reducitur? Dico reduci ad Pa-
ganismum, Mahometani enim non veniuntur fidei
susceptæ, vel in figura vel explicite profitendo se ha-
bere fidem Christi. Nec obstat, uti opponi posset, quod
in multis articulis cum vera fide conveniant; hoc enim
non est ex eo, quasi Mahometani eam fidem, ut à
Christiana derivatam professi sint, sed quia eorum
dux pro libitu ea istis proposuit ut amplectenda.
Quarto: Possibilis est quædam infidelitas Philosophica, uti
aliquibus loqui placet, quæ esset in eo qui esset constitutus
in puris naturalibus, et vellet colere unum Deum, præcise
ut ratione naturali cognitum, qui certe videretur nec
esse hæreticus, nec Paganus, nec Judæus. Sed dico, hæc
infidelitas philosophica manifeste esset Paganismus,
quia adversatur fidei, nullo adhuc modo susceptæ.
Quinto sit casus, quod homo baptizatus deficiat à toto

Evan-

Evangelio ut fit in Christianis apud infideles. Dico, ta-
lem formaliter fore hereticum, quia veritatem Fidei
semel explicite suscepit, manetque in eo character
baptismalis, imo et aliorum Sacramentorum, si ea recepit;
erit tamen in eo casu materialiter Judaismus, vel Pa-
ganismus.

Queritur: An liceat cum infidelibus disputare vel communicare seu
commercium habere.

Nota. Duplicem esse communicationem; unam civilem et po-
liticam, seu materialem; alteram formalem quæ potest
fieri sic vel quod fidelis ingerat se operibus infide-
litatis, vel quod infideles admittantur ad exercitia
nostræ Fidei. Hoc notato.

Resp. 1. Qui Fidem Christi semel suscepit, et ex motivo
dubitationis Fidei suæ cum infidelibus disputat, morta-
liter peccat, et est infidelis.

Resp. 2. Ex parte audientium aliquando licet aliquando
non licet publice de Fide disputare cum infidelibus.
Declarat hoc S. D. dicens: Si disputet aliquis de Fide

ad

Resp: 5: Comunicatio infidelium etiam Hæreticorum cum fidelibus in rebus divinis quandoque est Iure divino et naturali prohibita tanquam intrinsece mala, ut patet in admissione ad participationem Sacramentorum per eam enim Sacramentis maxima infertur iniuria: quandoque est permissa tanquam indifferens aut etiam conveniens, ut si speretur eorum conversio iuxta mox dicenda. Sequitur ex hoc 1. Licet infidelis conversus ad fidem possit manere in priori matrimonio cum infideli sine contumelia Creatoris cohabitante: attamen baptizato non licet cum infideli Matrimonium contrahere, tum ob periculum perversionis tum ob irriverentiam Sacramenti Matrimonii. 2. Iudæis et Hæreticis potest tribui panis, et aqua benedicta si absit periculum irreverentiæ. 3. Possunt admitti ad Concionem nostram et ad Missam saltem usque ad Offertorium exclusive, si non sit hæreticus publice, id est, per sententiam Iudicis denunciatus et desit dictum periculum ac speretur utilitas spiritualis. 4. Licet privatim pro eis orare, ac de mysteriis nostræ Fidei eos instruere.

Resp: 6:

Resp: 6: Communicatio civilis ac politica cum infidelibus et hae-
reticis non est intrinsece mala nec Iure divino aut natu-
rali prohibita. Ratio: Quia ibi secundum se nullum subest periculum.
Resp: 7. Lege Ecclesiastica prohibitum est: 1º sub Excommuni-
catione ne fideles in eadem domo cohabitent Iudeis aut
Saracenis, id est, quibuscunque non baptizatis. Seu quod tamen
prohiberunt habere servos Iudeos. 2. In Concilio Agatensi cap. 40:
inhiberunt, ne Fideles accedant ad convivia Iudeorum, et ne
eos inuitent ad sua. Non peccat tamen qui casu et praeter
intentionem convenit cum Iudeis in eadem mensa. 3. Ne
fideles comedant azyma Iudeorum. 4. Ne utantur Medico
Iudeo, nisi esset casus gravis necessitatis. 5. Ne in eodem balneo
cum Iudeis lavent, 6. Ne famulentur Iudeis, nisi locando
operas ad modicum tempus, et ne Iudeos eligant ad officia.
7. Ne nutrices Christianae nutriant Iudeorum infantes intra
domos ipsorum. In his casibus levitas materiae excusare potest.
Resp: 8: Turcis aliisque nominis Christiani inimicis vel Hereticis
per Sedis Apostolicae sententiam expresse et nominatim
declaratis deferre vel transmittere arma, ferrum, chalybem,
equos, milites, naves vel ligna navium et similia quibus
Catholicos impugnant, vel quoquo modo eorum bella

auxilio

auxilio, vel consilio adiuuare, prohibitum est ab Ecclesia
excomunicatione latę sententię Papę reseruata in Bulla Cenę.
Quid sentis de lectione librorum hæreticorum et infidelium?
Resp: 1: Antiqui libri ab Ethnicis conscripti propter sermo-
nis elegantiam et uerborum proprietatem permittuntur
Iudeorum verò, et Maurorum, seu Thalmut siue alii
codices de eorum erroribus agentes prohibiti sunt non
minus, ac hæreticorum.
Resp: 2: Iure quidem naturali prohibitum est legere libros
hæreticorum quando est periculum subuersionis; Iure
autem Ecclesiastico generaliter omnibus etiam docti-
simis uiris illicitum est eos legere absque licentia
Sedis Apostolicę, licet eos intendant refutare. Nomine
legentium intellige eos, qui scienter uiri perculunt
partem notabilem libri, quali iuxta comunem senten-
tiam est Proęmium, Epistola dedicatoria vel una pagina
ex reliquis, si liber sit magnus. Item eos qui audiunt
legi, si sint causa lectionis: Non tamen comprehendi
eos, qui legunt, sed non intelligunt. Item ignorantes
librum esse hæreticum aut hæreticum continere.
Peccantne fideles infidelibus vendendo aliqua, quibus

De Atheismo 9

utantur ad suos ritus.

Resp.: Fideles non possunt licite infidelibus vendere vel parare ea, quę per se ad eorum ritus sunt instituta et ordinata ad superstitionem ut idolum, vestis sacerdotis infidelis; Possunt tamen licite vendere et parare ea, quorum usus secundum se est bonus licet sciant quod infideles eis male, nitimurum ad ritum vel sacrificia sua utuntur [sint] u. g. pannus sericum, candelę;

p. 2. 1: Dixerunt enim cogitantes (Athei) apud se non recte: Exiguum et cum tedio est tempus vitę nostrę, et non est refrigerium (x in fine hominis) scilicet quies (post mortem) et non est agnitus qui sit reversus ab inferis. In his duobus mentiuntur.

2: Quia ex nichilo nati sumus, et post hoc erimus tanquam non fuerimus; scilicet nichil erimus, sicut ante nichil fuimus.

3: Quia extinctus cinis erit corpus nostrum, et spiritus (anima scilicet) diffunderur (dissoluerur) tanquam mollis aer

6: Venite ergo (dicunt ipsi se inuicem inuitantes) et fruamur bonis quę sunt et utamur creatura; Quasi, ex quo nullum bonum vel malum est homini post mortem, et tempus hominis breve est: Venite etc. Aug:

Ratio eorum hęc est: vita nostra, omniaque eius bona et mala in morte finiuntur, ac post mortem nichil erit quod nos exhilaret,

vel

98

ret affligat: ergo dum vivimus, vivamus bene, omnique cupidi-
tati indulgeamus, ideoque aliorum opes et bona diripiamus, ut iis
epulemur et voluptemur. Radix huius errorum paralogismi
est, cupiditas et voluptas, cui toti inhiant: hanc enim ut impune
sectentur et expleant, sibi persuadent animam esse mortalem,
ac proinde post mortem nullam timendam esse Numinis
vindictam et poenam. Huius erroris auctor fuit Cain, qui ne-
gavit Numen, Numinisque vindictam, ideoque fratrem occidit,
teste Josepho, Philone S. Ambrosio; Hunc secuti sunt posteri
eius omnes, ob quos Deus orbem terrarum mersit diluvio.
Post diluvium perfidiam hanc et scelus renovavit Nemrod
tyrannus, auctor turris Babylonicae, quasi per eam in caelum
contenturus, Deoque bellum indicturus. Deinde Samaritae scilicet
Assyrii qui à Salmanasar ex Assyria traducti sunt in Samariam:
hi enim censebant omnia cum morte interire nec ullam fore resur-
rectionem, teste Epiphanio, Denique Sadoc, eiusque asseclae Sadducaei,
qui vixit sub Juda Machabaeo; Eandem haeresim ex Gentilibus
docuerunt Democritus et post eum Epicurus, eiusque sectatores
Epicurei, quorum hoc axioma.

Ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas. Coro:

Sophon: 1: 12: Et visitabo super viros defixos in ~~cordibus~~ fecibus suis
Qui dicunt in cordibus suis: non faciet Dominus bene,
et non faciet male. q. d. Qui cogitant et censent,
quod Deus non habeat providentiam bonorum et
malorum, ut hos puniat, illos premiet: sed omnia
casu vel fato eveniant. Fortuna est, inquiunt vel fatum,
quod omnia regit, quod his bona, illis mala irrogat.
Est vox atheorum. Amor enim voluptatum, et
consuetudo peccandi quam nolunt dimittere, impel-
lit eos et excecat, ut dicant: Non est providentia;
quo liberius ablato Numinis metu pecent; iuxta
illud psal. 13: 1: Dixit insipiens in corde suo. Non est Deus. Corn.

Prov: 17: 7: Non decent stultum verba composita nec prin-
cipem labium mentiens. Mendacium probro-
sum est omni homini, sed maxime prin-
cipi. Unde docet D. Thomas, principi abo-
minandum esse mendacium ut venenum.
Impia ergo est illa politicorum vox apud
Euripidem: Si ius regnandi gratia violandum

BIBLIOTHECA SEMINARII CONCORDIENSIS

98

95.

est, aliis rebus pietatem colas. / Sicut enim fides stabilit rempublicam: ita perfidia evertit. Utrum si tollis fidem inter homines, tolles et fidem ac religionem in Deum, faciesque atheos. Sequitur:

Sap. 1. 1. Diligite iustitiam / iustitia hic accipi potest pro complexione virtutum / qui iudicatis terram. Sentite de Domino in bonitate, q. d. Ô reges curate ut de Deo Deique providentia, maiestate, iustitia, sapientia, potentia, vindicta caeterisque attributis ita sentiatis et sapiatis sicut revera ita se habent in Deo. Bene ergo, recte et pie de iis sentite, uti docet fides et Prophetae, non male, prave et impie cum atheis, et Politicis, qui Domino adimunt providentiam, vindictam aliaque attributa, ideoque ex Deo faciunt vel truncum, vel cacodemonem. Unde Arabicus vertit, percipite potentiam.

[stamp]

domini perceptione vetita. Basis enim et fundamentum reip: iustitię, regni, felicitatis, omnisque boni est Religio, verusque de Deo sensus: hic enim tam reges, quam subditos sacro metu percellit, et continet in sapientia et virtute, ut iuste, pure sanctèque viuant, ne tantum numen offendant cuius vindictam extimescunt: Deus enim ut bonorum est premiator liberalissimus, ita malorum est ultor acerrimus. Unde Iosaphat rex Iuda, iudices Dei metu urget ad iuste iudicandum, 2: Paralip: 19: 6: dicens: Videte quid faciatis: non enim hominis exercetis iudicium, sed Domini. et quodcumque iudicaueritis in vos redundabit. Sit timor Domini vobiscum, et cum diligentia cuncta facite: non est enim apud Dominum Deum nostrum

iniquitas

98.

iniquitas, nec personarum acceptio nec cu:
pido munerum) Vidit hoc etiam Plato,
qui proinde in Pitagora, et in Euriphone
iustitiam et religionem ita coniungit, ut
unam eandemque virtutem existimet:
vel ita inuicem similes, ut qualis iustitia,
talis sanctitas et religio futura sit, et qua:
lis religio, talis administranda iustitia. Nam
quemadmodum salus animę, ut ait Ecclesiast.
So: is: est in sanctitate iustitię: sic caeterarum
rerum salus atque felicitas ex eadem iusti:
tię et religionis sanctitate, tanquam ex
vero sanctitatis fonte profluunt. Ex certa
ergo et vera religione, certa et vera iustitia:
et ex variis religionibus, incerta et falsa omnia,
ęqualitas, societas, beneuolentia, fides, id est

verum dictorumque constantia. Si ~~vero~~ enim
magistratus, sibi fas esse credant subdi-
tos fallere, datam fidem abnegare, iusiuran-
dum violare, fallaciis decipere, dolis illude-
re, omnia bellis permiscere; quę inde in
remp: scelera, quę flagitia, quę sacrilegia
promanabunt et irrumpent? Quod ius ab
iis reddi poterit si fraudibus rempublicam
gubernari, si dolosis artibus et imposturis
populos tueri posse, non modo arbitren-
tur, sed etiam exequantur. Cont.

Ephes: 4: 18. Tenebris obscuratum habentes intellectum. Hic
est fons vanitatis infidelium quod scilicet
intellectum (Græcè cogitationem) habeant obscu-
ratam infidelitate aliisque erroribus practi-
cis, qui ex ea sequuntur, ut scilicet nec Deum
nec Christum agnoscant, sed idola

lignea, et lapidea putent esse deos, dæmo=
nes colant, et ad dæmonum suggestiones et
instinctum putent fornicationem, ebrietatem
furta, rapinas non esse peccata. Sic enim
corrupto intellectu, quasi duce et luce ho=
minis, necesse est appetitum, et actiones omnes
hominis corrumpi, ut libere fornicentur,
furentur, inebrient se, dum putant hæc non
esse aut certe exigua esse peccata. (alienati
a uita Dei) scilicet, a uiuendi modo quem
Deus instituit, præcepit ac sibi gratum et
placitum declarauit. idque (per ignorantiam)
quia scilicet Deum Dei legem et uolunta=
tem ignorant. (propter cecitatem cordis ~~eorum~~.
ipsorum. uel ut Ambros. duritiem cordis
eorum; q. d. In gentibus sicut obscuratus

est per ignorantiam intellectus: ita conse-
quenter cor, id est, appetitus mala uiuendi
consuetudine obscuratum est, et callum ob-
duxit. Hinc ut sequitur, in desperationem,
indolentiam, et omne scelerum barathrum prae-
cipites corruerunt.

19: Qui desperantes (scilicet, salutem et uiam
futuram ac beatitudinis; q. d. Gentes cum non
crederent, nec sperarent animam esse immor-
talem, Deum esse uindicem malorum, ac bo-
norum remuneratorem, Sanctos esse beandos
uita æterna, putarentque nullam post hanc
uitam ~~esse~~ aliam superesse poenarum uel prae-
miorum spem aut timorem; audacter et quasi impune se uo-
luptatibus et libidinibus dediderunt. Unde
et Erasmus hanc lectionem optimè huic loco

quadrare

quadrare censet, ut scilicet segamus desperantes: siquidem qui desperant esse uitam aliam à morte corporis, auidissimè rapiunt huius uitę uoluptates, iisque se ingurgitant, uelut amissis illis nichil habituri suaue. / semetipsos tradiderunt impudicitię, in operationem immunditię omnis, in auaritiam. q. d. Gentiles non habentes spem uitę futurę dederunt se omni immunditię et auaritię, ut aliena apperant et inuadant insatiabiliter. Corn.

Act: 17: 18: Quidam autem Epicurei et Stoici Philosophi disserebant cum eo: / Paulo, scilicet. Erant hi omnes athei. Axiomata Epicuri recenset Laertius: Quod / dicebat / beatum est et immortale id neque ipsum negotii quidquam habet, neque alteri

exhibet, ut neque ira neque gratia moveatur: in quo enim eiusmodi insunt, omne hoc imbecillum est. (Unde infertur, Deum non curare res humanas, nec malos punire) Mors nichil ad nos pertinet. Quod enim dissolutum est, id sensus est expers: quod vero sensu est expers, nichil ad nos pertinet. (Unde colligas animam post mortem nil sentire, unaque cum corpore interire.) Felicitatem sitam esse in voluptate: hanc enim esse initium et finem bene vivendi, vitaeque beatae. Mundos esse innumerabiles, eosque ex atomis inter se coeuntibus coaluisse: atomos ergo esse principium rerum omnium, esseque infinitas. (quod hausit Epicurus à Democrito suo Magistro. Unde S. Augustinus, Quomodo, inquit, inter Dei-

Democritum et superiores Physicos de uno
mundo et innumerabilibus item diiudicabimus,
cum inter ipsum, heredemque eius Epicurum,
concordia manere non potuerit? Nam iste luxu:
riosus, cum atomos quasi ancillulas suas, id est
corpuscula quę in tenebris Ietus amplectitur,
non tenere uiam suam, sed in alienos limi:
tes passim et sponte declinare permittit, to:
tum patrimonium etiam per iurgia dissi:
pauit. Stoicorum paradoxa et errores
Paulo conuellendi fuere hi. Primus: fatum
esse, omniaque regi fato: fatum ergo esse Deum.
Deum itaque tollebant Deique prouidentiam
ac pro Deo substituebant fatum et naturam:
omnia enim censebant fuere naturę cursu et
necessitate. Naturam, inquit Lactantius, dixerunt
esse rerum omnium matrem, quasi dicerent,

omnia sua sponte esse nata. ~~Tertius~~ Secundus: uirtutem,
in qua summum bonum ponebant, esse in potes-
tate et industria cuiusque: unde non esse ea[m]
petendam à Deo, utpote quae sita sit in arbitrio
hominis. Tertius: omnes uirtutes esse pares,
et omnia uitia paria; ac qui unum uel uitium,
uel uirtutem, omnia et omnes caeteras habere.
Quartum uitia Dei prouidentia existere, ad
uarietatem et ornamentum uniuersi. Quartus:
non esse ignoscendum reo qui offendit; non
esse miserendum, eo quod misericordia sit
passio et aegritudo animi, quae in sapientem
non cadit; quodque iustitiae suus dandus sit
locus, ut rei puniantur: Unde Cicero ex Stoicis
ait: Neminem misericordem esse, nisi stultum
et leuem. Quintus: sapientem sumere aliquan-
do mortem posse, imò debere, ne scilicet miser

106.

uiuat: Vnde Seneca: Aut honeste uiuere, aut statim mori generosum oportet. Sextus: omnes deos mortales esse, excepto Ioue, et in Iouem transituros: sic in conflagratione mundi, sol, inquiebant, Lunam et ceteras stellas in se transmutabit. Septimus: Deum esse spiritum et animam mundi. Itaque spiritum qui uegetat mare, esse et uocari Neptunum, qui terram Cererem, qui aera Iunonem &c. Quia autem uidebant res omnes spiritu et calore nasci, foueri, et crescere: hinc hunc spiritum et calorem, quem uocarunt ignem, censuerunt esse geniturum et increatum rerum omnium principium et causam. Denique, Mundum esse animal animatum uiuum et rationale, ratione enim regi, spiritu uegetari et irrigari. Corn.

De Magicis artibus et
Superstitionibus.
Sortibus, et Somniis.

De Magicis artibus

Quid est superstitio, et quę species eius.

andr Resp: 1: Ex S. Thoma dicente: Superstitio est uitium Religioni op=
s: 10. positum secundum excessum, non quia plus exhibet in cultum di=
n: 6: uinum quam uera Religio, sed quia exhibet uel cultum diuinum,
uel cui non debet, uel eo modo quo non debet.

Resp: 2. Superstitio est falsa Religio uel uitiosus cultus ueri, uel falsi Dei. Et primo diuiditur in eam quę est superstitio cultus indebiti, et eam quę est superstitio ratione rei cultę, seu una ratione modi, altera ratione obiecti. Prima est qua exceditur tantum in modo colendi uerum Deum secundum ueteris legis ritum. Quo etiam spectat exhibere falsas reliquias pro ueris, fingere miracula reuelationes, quę omnia ex suo genere mortalia sunt. Huc etiam spectat cultus superfluus Dei ut si quis nolit audire Missam nisi post ortum Solis, uel nisi a Sacerdote, cui nomen Joannes, uel nisi sub ea luceant tres candelę, uel Sacerdos utatur uiolacea casula, aut addat hoc uel illud contra Rubricas, in quibus tamen plerumque peccatur solum uenialiter, si simplicitas excuset. Item eo spectat, et mortaliter peccat obstetrix si ad facilitandum partum cum firma fide infallibiliter ita futurum, proferat illa uerba: Et Verbum caro factum est. Esset enim grauis superstitio. Si uero fieret simpliciter et ex mera pietate, sine illa firma fide infallibilis effectus, nullum

esset

esset peccatum, sed solum devota invocatio Verbi incarnati. Altera species, nimirum ex parte obiecti, seu superstitio ratione rei cultæ, est, qua cultus divinus exhibetur illi, cui exhibendus non est, nimirum creaturæ. Et hoc est aliud superstitionis genus, ait S. D.[r] quod in multas species dividitur, quæ sunt idolatria, divinatio, vana observantia. Quæ species iterum subdividuntur, ut seq.[r]

P.[mo] Idolatria proprie dicta, quæ est maximum peccatum, est cultus, quo colitur creatura loco Dei. Hoc diversimode olim fiebat: Quidam enim per quandam nefariam artem imagines quasdam construebant quæ virtute dæmonum quosdam certos effectus habebant, unde putabant in ipsis imaginibus esse aliquid divinitatis, et quod per consequens eis deberetur divinus cultus. Alii verò non exhibebant cultum divinitatis ipsis imaginibus, sed creaturis, quarum erant imagines, existimabant enim quosdam homines deos fuisse, ut Iovem, Mercurium q quos per eorum imagines colebant

Divinatio est prædictio rerum naturaliter incognoscibilium, vel per expressam dæmonis ad aliqua manifestanda invocationem, vel per tacitam, qua dæmones præter expressam hominis intentionem se ingerunt variis inquisitionibus futurorum, ut mentes hominum implicent vanitatibus. Nec excusat quod quis similibus utendo abrenuntiet pacto diabolico; esset enim inutilis abrenuntiatio,

fieret

fieri, nempe solo ore, non opere, sed opere firmari pactum. Species divinationis, in quibus dæmones expresse inuocari futura pronunciant, sunt ut sequitur.

Præstigium ex eo quod oculi hominum perstringuntur, in quantum dæmones præstigiosis quibusdam apparitionibus se aspectui et auditui hominum ingerunt ad futura prænuntianda.

Divinatio Somniorum, inquantum dæmones per somnia homini futura significant. Pro intelligentia audiatur explicatio Angelici Doc.ris dicentis. Considerandum, quæ sit causa somniorum, an possit esse causa futurorum euentuum, uel ea possit cognoscere. Sciendum est ergo, quod somniorum causa quandoque quidem est interius, quandoque exterius. Interior somniorum causa est duplex: una quidem animalis, inquantum scilicet ea occurrunt hominis phantasiæ in dormiendo, circa quæ eius cogitatio et affectio fuit imorata in uigilando. Et talis causa somniorum non est causa futurorum euentuum: unde huiusmodi somnia per accidens se habent ad futuros euentus, et si quandoque simul concurrant, erit casuale. Quandoque uerò causa intrinseca somniorum est corporalis. Nam ex interiori dispositione corporis formatur aliquis motus in phantasia, conueniens tali dispositioni: sicut homini, in quo abundant frigidi humores, occurrunt in somniis, quod sit in aqua uel in niue.

Et propter

Et propter hoc medici dicunt esse intendendum somniis, ad cognoscendum interiores dispositiones. Causa autem somniorum exterior similiter etiam est duplex, scilicet corporalis, et spiritualis. Corporalis quidem inquantum imaginatio dormientis immutatur vel ab aere continenti, vel ex impressione cœlestis corporis, ut sic dormienti aliquæ phantasiæ appareant conformes cœlestium dispositioni. Spiritualis autem causa est quandoquidem quidem à Deo qui ministerio Angelorum aliqua hominibus revelat in somniis, secundum illud Num: 12. Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. Quandoque verò operatione dæmonum aliquæ phantasiæ dormientibus apparent, ex quibus quandoque aliqua futura revelant his, qui cum eis habent pacta illicita. Sic ergo dicendum quod si quis utatur somniis ad præcognoscenda futura, secundum quod somnia procedunt ex revelatione diuina, vel ex causa naturali intrinseca, siue extrinseca, quantum potest se virtus talis causæ extendere, non erit illicita diuinatio. Si autem huiusmodi diuinatio causetur ex revelatione dæmonum, cum quibus pacta habentur expressa quia ad hoc inuocantur, vel tacita quia huiusmodi diuinatio extenditur ad quod se non potest extendere, erit diuinatio illicita, et superstitiosa. Hæc S. Thomas.

Necromancia

De Magicis artibus

Necromancia, quando demones se ingerunt per aliquorum mortuorum apparitionem, uel locutionem. Nam necron Græce mortuum, mantia uerò diuinatio nuncupatur, quia quibusdam præcantationibus, adhibito sanguine, uidentur resuscitari mortui diuinare, et ad interrogata respondere. Quę tamen est mera deceptio diaboli, nam mortuos suscitare solius Dei est.

Diuinatio per Pythones, quando nimirum futura prenuntiant per homines uiuos, sicut in arreptitijs patet. Dicti sunt Pythones à Pythone Apolline, qui dicebatur esse auctor diuinandi.

Nota. Quod quandoque futura prenuntiant per aliquas figuras, uel signa, quę in rebus inanimatis apparent. Unde sunt hę species.

Geomantia si hec signa appareant in aliquo corpore terrestri, puta in ligno, ferro, uel lapide polito. Hydromantia, si in aqua. Aeromantia, si in aere. Pyromantia, si in igne. Aruspicium, si in uisceribus animalium immolatorum in aris demonum.

Diuinatio quę fit absque expressa demonum inuocatione est quando utitur aliquibus medijs ad cognitionem rerum, ad quam nullā habent uirtutem, et diuiditur in has species ut sunt.

Astromantia, seu Astrologia *quæ* iudiciaria Planetariorum, seu Genethliacorum, qui ex motu, situ aspectu astrorum iudicant, et prędicunt futura contingentia, etiam libera, seu actiones

ex libera

ex libera voluntate pendentes de ineundo vitę statu sive Matrimoniali, sive Religioso, de paupertate, divitiis, prosperitate, suspendio,
quę est divinatio illicita, et superstitiosa, eique demonis operatio se immiscet, ut docet S. Thomas: Cuius ratio est: Subtrahuntur causalitati cęlestium corporum actus liberi arbitrii, quod est facultas libertatis, et rationis, intellectus enim, sive ratio non est corpus nec actus organi corporei, et per consequens nec voluntas, quę est in ratione, nullum autem corpus potest imprimere in rem incorpoream: unde impossibile est, quod corpora celestia directè imprimant in intellectum et voluntatem. Unde corpora cęlestia non possunt esse per se causa operationum liberi arbitrii, possunt tamen ad hoc dispositiuè inclinare, inquantum imprimunt in corpus humanum, et per consequens in vires sensitivas quę sunt actus corporalium organorum quę inclinant ad humanos actus, quia tamen vires sensitivę obediunt rationi, nulla necessitas per hoc libero arbitrio imponitur, sed contra inclinationem cęlestium corporum homo potest per rationem operari.
Nota. Quod Sixtus 5. expresse in Bulla prohibuerit omnia iudicia ex constellatione natalitia, affirmantia aliquid de futuris contingentibus, successibus, fortuitisque casibus aut actionibus ex humana voluntate dependentibus, etsi id affirment etiam formi-

formidolose seu protestentur, se id non affirmare certò, v. g. fore fortunatum, effeminatum, rapacem &c. Admittit tamen S. D.ᵒʳ quod ea quę ex necessitate eveniunt, v. g. Eclipses, Astrologi certo prędicere possunt, et probabiliter siccitates, pluvias, morbos &c. quę tamen ex aliquo impedimento non semper ita eveniunt, uti prędicuntur. Et hęc vocatur Astrologia naturalis et licita.

Chiromantia et Physiognomia naturalis secundum se etiam non est prohibita, per quam ex membrorum inspectione, et lineamentis corporum, v. g. manus (quia chir Grecè dicitur manus) de complexione, temperamento, ingenio, passione, ac proportione hominis quoad morbos et mores potest fieri aliqua coniectura, quę tamen circa mores valde est fallibilis. Cum enim Scriptura Gen: 4. dicat, Sub te erit appetitus tuus et tu dominaberis illius, hominis educatio, conversatio, regimen rationis, contra hanc inclinationem multa solent mutare; non est, inquam, prohibita, dummodo non prędicantur, aut exinde credantur eventus fortunati, vel infortunati, utpote qui pendent ex sola Dei Providentia. Fateor tamen, quod sępè peccent mortaliter, qui dum Cingaros vel similes consulunt, Physiognomię

maiorem

maiorem, quam par est, fidem adhiberi. Item ex conditione personę, u. g. Sacerdotis, potest incurrere peccatum scandali. Cęteroquin si fiat ex mera curiositate, et videndi gratia, sine animo credendi, est ueniale.

Augurium, de quo ait S. D.r Si per motus, uel uoces auium, seu quorumcunque animalium, siue per sternutationes hominum, uel membrorum saltus, futura prędicantur, hoc pertinet generaliter ad augurium, sicut auspicium ab inspectione auium.

Omen est, si huiusmodi consideratio fiat circa uerba hominum absque intentione dicta, quę quis retorquet ad futurum, quod uult pręnoscere.

De Augurio, et Omine S. Thomas ita scribit. Nihil prohibet, aliquas eorum (scilicet brutorum) operationes esse futurorum signa, inquantum conformantur dispositionibus corporum cęlestium, et aeris continenti, ex quibus proueniunt aliqui futuri euentus. In hoc tamen duo considerari oportet. Primum quidem, ut operationes huiusmodi non extendantur nisi ad pręcognoscenda futura, quę causantur per motus cęlestium corporum, ut supra dictum est. Secundo, ut non extendantur nisi ad ea, quę aliqualiter possunt ad huiusmodi animalia pertinere.

Conse=

Consequuntur enim per celestia corpora cognitionem quandam naturalem, et instinctum ad ea quę eorum vitę sunt necessaria, sicut sunt immutationes, quę fiunt per pluvias, ventos, et alia huiusmodi. Alio modo instinctus huiusmodi causantur ex causa spirituali, scilicet, vel ex Deo, ut patet in Columba super Christum descendente, et in Corvo, qui pavit Heliam; vel etiam ex Demonibus, qui utuntur huiusmodi operationibus brutorum animalium ad implicandos animos hominum vanis opinionibus. Et eadem ratio videtur esse de omnibus aliis huiusmodi, preterquam de Ominibus: quia verba humana, quę accipiuntur pro Omine, non subduntur dispositioni stellarum; disponuntur tamen secundum divinam providentiam, et quandoque secundum Demonum operationem. Sic ergo dicendum, quod omnis huiusmodi divinatio, si extendatur ultra illud, ad quod potest pertingere secundum ordinem naturę, vel Divinę Providentię, est superstitiosa, et illicita. Hęc S. Th.

Sortilegium, à legendo sortes dictum, sive Sors, est, dum ab homine aliquid fit, ut eius eventu considerato innotescat aliquid occultum. Sors est triplex. Primò Divisoria, qua per sortem queritur, quid cuique de bonis, honore, premio vel

pena

pena tribuendum sit. 2. Consultoria, qua inquiritur, quid agere oporteat. 3. Diuinatoria, qua queritur, quid sit futurum: que explicite, uel implicite innititur societati Demonum.

Quando in sorte diuisoria, seu consultoria, euentus expectatur à Deo, juxta illud Prou: 16. Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur, secundum se non est malum. Potest tamen in hoc quadruppliciter peccari, ut explicat S. D.r Primò, si absque ulla necessitate ad sortes recurratur, hoc enim uidetur pertinere ad tentationem Dei. 2. Si quis etiam in necessitate sortibus utatur absque reuerentia Dei. Unde super Actus Apost.m Beda dicit: Sed, si qui necessitate compulsi Deum putent sortibus exemplo Apostolorum esse consulendum, uideant hoc ipsos Apostolos, nonnisi collecto fratrum cetu, et precibus ad Deum fusis egisse. 3. Si diuina oracula ad terrena negotia conuertantur. 4. Si in Electionibus Ecclesiasticis, que ex Spiritus S. inspiratione fieri debent, aliqui sortibus utantur, unde sicut Beda dicit: Matthias ante Pentecosten ordinatus sorte queritur, quia scilicet nondum erat plenitudo Spiritus S. in Ecclesia effusa.

Secus est in temporalibus Dignitatibus, in quibus sortes non prohibentur, ut si plures eque idonei sint competentes, non

tamen licet, si inter eos sit aliquis indignus, ne bonum comune periclitetur. Si necessitas imineat, ait S. Thomas, divinum iudicium implorare. Unde S. Aug.s dicit: Si inter Dei ministros sit disceptatio, qui eorum persecutionis tempore maneant, ne fuga fiat omnium, et qui eorum fugiant, ne morte omnium deseratur Ecclesia; si hec disceptatio aliter non possit terminari, qui maneant, et qui fugiant, sorte legendi sunt. Idem subdit de re adiudicanda uni ex duobus altercantibus, si dari non possit utrique. Eadem ratione sepè dividuntur portiones hereditarię, terminantur controversię, et lites iudiciales. Docet etiam S. D.r quod iudicium ferri candentis, vel aquę ferventis, quod olim adhibebatur ad probandam innocentiam, ordinatur quidem ad alicuius occulti inquisitionem per aliquid, quod ab homine fit, et in hoc convenit cum sortibus: inquantum tamen expectatur aliquis miraculosus effectus à Deo, excedit omnem sortium rationem. Unde huiusmodi iudicium illicitum reddidur, tum quia ordinatur ad iudicanda occulta, quę divino iudicio reservantur; tum etiam quia huiusmodi iudicium non est authoritate divina sancitum, nec SS. Patrum documento. Quod latius probat ex Decreto Stephani Papę.

Quero

Quæres Quid censes de vana observantia?

Resp: Vana observantia est, qua aliqua fiunt ad obtinendum id ad quod nec à natura, nec à Deo sunt ordinata. Dividitur in quatuor species suo ordine explicandas. Quarum prima est

Ars notoria quæ ad acquirendam scientiam vel sibi infundendam utitur mediis nec à natura nec à Deo ad id institutis, nimirum inspectione quarundam figurarum, prolatione incognitorum verborum cum adiunctione certarum precum, et ieiuniorum certis diebus et vicibus expendendorum. Ubi est pactum ex. vel implicitum cum Dæmone, adeoque ars hæc est mortaliter superstitiosa. Media, quæ natura instituit pro scientiarum acquisitione, sunt labor, industria, disciplina, adinventio &c.

2. Observatio Sanitatum; qua aliquid inane et inutile adhibetur ad obtinendam sanitatem. Et hæc est mortale, nisi forte simpliciter excusetur à mortali propter ignorantiam. Explicat hoc S. D. In his quæ ad aliquos effectus particulares inducendos fiunt, considerandum est utrum naturaliter videantur posse tales effectus causare; sic enim non erit illicitum: si non possint, sequitur quod solum adhibeantur ut signa, pertinentque ad pacta cum Dæmone inita, et sic est superstitiosum, et hoc est quando adiunguntur vel characteres aliqui, vel aliqua nomina, vel aliæ quæcunque vanæ observationes, aut ligaturæ, de quibus constat quod naturaliter efficaciam non habeant

Exemplu

Exemplum est in illa superstitione, qua gladius infectus per eum vulnere sanguinolentus, medicamine, nimirum pulvere, ut vocant, sympathico, inungitur, ut saucius subito curetur. Qui effectus, si sequatur, non potest imputari Deo, quia ad hoc nullum datur fundamentum. Ergo provenit à malo spiritu saucium sanante, quia illud medicamentum non potest agere in distans, praesertim extra activitatis suae sphaeram, aut intervicto pariete.

3. Observatio eventuum, nimirum fortunae, vel infortunii, de qua S. Thomas citat S. Augustinum dicentem: Ad pacta cum daemonibus inita pertinent millia inanium observationum, puta si membrum aliquod salierit, si iunctim ambulantibus amicis, lapis, aut canis, aut puer intervenerit: limen calcare, cum ante domum suam aliquis transit: redire ad lectum, si quis, cum se calceat, sternutaverit; redire domum, si procedens offenderit: si vestis à soricibus roditur, plus timere suspicionem mali futuri, quam praesens damnum dolere. Haec ille. Explicat hoc ulterius S. D. Homines huiusmodi observationes attendunt, non ut quasdam causas, sed ut signa quaedam futurorum eventuum vel bonorum vel malorum. Non observantur autem sicut signa à Deo tradita, cum non sint introducta ex authoritate Divina, sed magis ex vanitate humana cooperante daemonum malitia, qui nituntur animos hominum huiusmodi vanitatibus implicare.

Et ideò

ideo manifestum est, omnes huiusmodi observationes superstitiosas, esse, et illicitas. Et videntur esse quaedam reliquiae idolatriae, secundum quam observabantur auguria, et quidam dies fausti, vel infausti, quod quodammodo pertinet ad divinationem quae fit per astra, secundum quae diversificantur dies.

4: Incantationes, vel figurae collo appensae. De his ait S. D.: In omnibus incantationibus, vel scripturis suspensis duo sunt cavenda. Primò quidem, quid sit, quod profertur, vel scribitur: quia si est aliquid ad invocationes daemonum pertinens, manifeste est superstitiosum, et illicitum. Similiter etiam videtur esse cavendum, si contineat ignota nomina, ne sub illis aliquod illicitum lateat. Unde Chrys: dicit quod Pharisaeorum magnificantium fimbrias suas exemplo, nunc multi aliqua nomina hebraica Angelorum confingunt et scribunt, et alligant, quae non intelligentibus metuenda videntur. Est etiam cavendum, ne aliquid falsitatis contineat: quia sic eius effectus non posset expectari à Deo, qui non est testis falsitatis. Deinde cavendum est secundo ne cum verbis sacris contineantur aliqua vana: putà aliqui characteres inscripti praeter signum Crucis. Aut si spes habeatur in modo scribendi, aut in quacunque huiusmodi vanitate quae ad divinam reverentiam non pertineat; quia hoc iudicaretur superstitiosum: alias autem est licitum. Unde in Decretis

dicitur

dicitur 26. q. 5. cap. Non licet Christianis. Nec in collectionibus herbarum, quae medicinales sunt, aliquas obseruationes, aut incantationes liceat attendere, nisi tantum cum Symbolo diuino, aut Dominica oratione, ut tantum Creator, et Deus omnium adoretur et honoretur.

Magia huc reduci potest, quam aliqui a uana obseruantia distinguunt, estque ars immutandi corpora, aliaque mira perpetrandi ope Daemonis, u. g. uerbo reserare ianuas. Haec aut si attendat ad nocendum alteri, uocatur maleficium. Et hoc est duplex: unum dicitur ueneficium, quo nimirum homini, aut eius animalibus infertur corporale nocumentum. Alterum appellatur amatorium, seu philtrum, quod daemone phantasiam hominis commouente excitat amorem carnalem, uel odium.

Quaeri hic potest 1. An liceat maleficium maleficio tollere. Sed de hoc dictum est Tract. 2. Exam. 2. quod non liceat, etsi alter paratus sit maleficium maleficio tollere. Et ratio est: Quia nulla ratione licet hominem quantumuis paratum inducere ad offendendum Deum. 2. Quid dicendum de istis militibus, et similis farinae uiris, qui ut se inuulnerabiles faciant, seu periculis eximant, uel arma certo ritu incantant uel amuleta, camisias intextas, uariis literis, figuris, et nominibus etiam sanctissimis inaurata portant. Ad quod patet ex dictis esse moralem superstitionem, et uel illas

non esse

non esse causas physicas talis effectus, sed signa quibus se Demon ingerit ex tacito pacto: qui etiam ictum gladii, vel sclopeti avertere potest, vel rotatione ne scopum tangant; vel eius impetum, seu uim frangendo ne noceant.

Quid sentiendum de sagis, dicentibus, vel credentibus se cum copiosa sociarum phalange nocte super quadam bestias equitare, plurima spatia percurrendo, aliquas creaturas à se transformari. Ad hoc Dico, quod illis interdum à Demone ingeruntur talia phantasmata, seu imaginationes, quibus decipiuntur, putantes, se ludis interesse cum non sint; interdum verò etiam realiter seu corporaliter transportari, quod non excedit uirtutem angelicam quia corpora obediunt Angelis quoad motum localem. Sic enim bonus Angelus Prophetam Abacuc, correptum per capillos, transtulit. Et idem possunt Angeli mali, in quibus naturalia manserunt integra. Et habet quilibet Angelus determinatam sibi notam sphæram, intra quam corpus etiam celerrime potest mouere etiam sine fatigatione corporis transportati, sic ut is quasi quiescat in hac transportatione. Dum autem sagæ interdum sint fatigatæ, et debilitatæ, id prouenit, vel ex nimia fatigatione phantasiæ, vel quia subinde etiam à Demone fatigantur.

Quid

De Magicis artibus

Quid sentis de tentatione Dei?

Resp: 1. Tentatio Dei est peccatum contra uirtutem Religionis, quo quis contra reuerentiam Deo debitam absque iusta causa nititur explorare perfectiones, seu attributa Dei, u.g. an sit Omnipotens, sapiens, iustus, misericors &c. uel aggredi aliquod opus absque mediis à Diuina Prouidentia ad illud efficiendum ordinatis.

Resp: 2. Tentatio Dei est duplex. Una expressa, ut si quis cum formali intentione faciat actionem, diuinum attributum experiendi, u.g. si ad imitationem nostri S. Raymundi de Pennafort strato super flumen pallio praesumat illud transire, sperans Deum ad id opem laturum. Altera est interpretatiua, ut si quis sine expressa tali intentione aliquid faceret suapte natura ordinatum ad sumendum experimentum de Deo; u.g. ex indiscreto zelo attentat quis ad imitationem Christi totam Quadragesimam transigere sine cibo. Hoc enim interpretatiue est petere miracula sine necessitate.

Resp: 3. Tentatio Dei regulariter loquendo est mortale peccatum: Quia est manifestus Dei contemptus. Dixi, regulariter: Quia paruitas materiae et indeliberatio interdum à mortali excusat.

Similiter

Similiter nullum peccatum est, si quis talia ardua aggreditur ex speciali inspiratione Dei, uti fecerunt plures sancti; tunc enim non est tentatio Dei. {Truigandus}

Gen: 30: 27: Experimento didici quia benedixerit mihi Dominus propter te. {Sunt verba Laban ad Jacob.} q.d. Tu es fortunatus, et ego propter te, tu bonam fortunam tuam tecum in meam domum induxisti. Nota

De Sorte. Experientia docet, alios homines esse fortunatos, ita ut quaecumque agunt prospere eveniant, imò domos subinde ac domesticos fortunatos efficiant. alios è contra infortunatos, ita ut omnia fere eis infeliciter eveniant, etiamsi prudentissime ab eis fuerint praecogitata, et disposita.

Quaeres, quae huius disparitatis sit causa. Gentiles caeci causam censuerunt esse fortunam deam caecam; Astrologi stellis et horoscopo id assignant; Vulgus casu haec evenire putat. Verum dico, Deum esse causam, cur hi sint fortunati, illi infortunati. Deus enim omnium est Dominus, qui singulis sua prout vult dispensat, itaque sicut huic ingenium, opes impertit, alterum verò facit stupidum, pauperemque; ita pariter speciali sua providentia hunc facit fortunatum, illum infortunatum; ad illudque causas secundas flectit, et contemperat. Hoc est quod ait Psaltes ps: 30: 16: In manibus tuis sortes meae. Causa cur Deus ita dispares hac in re homines efficiat, prima est, ut se absolutum esse omnium Dominum

ostendat.

De Magicis artibus.

ostendat. Secunda, ut ~~se absolutum esse ostendat Dominum~~ in uni-
verso dispartit inter hominum gradus et eventus, hoc enim ad universi
varietatem et decorum pertinet. Tertia, ut homines ex hisce Deum
agnoscant, eaque non ab alio quam à Deo postulent, unde Deus
Iudaeis, si legem servaverint, hanc felicitatem in bonis terrenis pro-
mittit, ut populus rudis hac spe ad Dei legem et cultum induce-
retur: utroque patriarchas fecit felices, ut Gentiles spe huius fe-
licitatis allecti, eundem Deum agnoscerent et colerent. Quarta,
ut qui felices sunt sua felicitate ad Dei gloriam et aliorum
auxilium utantur: infelices in sua infelicitate habeant mate-
riam virtutis, modestiae et patientiae. Atque hac de causa Deus
maiorem hominum partem facit non plane fortunatam, nec
plane infortunatam, sed in aliquibus fortunatam, in aliis infortunatam,
atque eorum vitam ex felicitate et infelicitate mirabili varietate
contexit et contemperat. Quinta, ut fideles videntes pios subinde
esse felices, impios felices, sciant omnia terrena esse adiaphora,
discantque hanc terrenam felicitatem contemnere atque aspi-
rare ad vitam caelestem et aeternam, ad quam Christus nos de-
ducit verbo et exemplo. Gen.

Gen: 40. 8: Numquid non Dei est interpretatio? q.d. Deus per me vobis interpreta-
De somniis. bitur verum somnium. Quaeres, an ex somniis liceat divinare de

futuris.

futuris. Nota. Triplicia sunt somnia: quędam enim proveniunt à Deo: quędam à Dęmone: quędam à natura. Rursum tertia hęc, quę à natura oriuntur, bipartita sunt: quędam enim oriuntur ex diurna cogitatione, vel ardenti ergą rem aliquam affectu. Quędam verò somnia naturalia oriuntur ex temperamento, et humore prędominante. Dico ergo. Ex somniis naturalibus licet diuinare naturaliter, id est, coniectare de hominis temperamento, sanitate, affectu, et morbis iminentibus. Ex somniis à Deo, vel Angelo immissis diuinare licet, sed ei tantum qui eorum significationem à Deo, vel Angelo accepit. Ita Ioseph hic, et Daniel. Reliqua somnia, et ex iis diuinationes vel diabolica sunt vel superstitiosa, vel vana, fallacia et stulta: unde diuinatio ex hisce somniis prohibita est Deut: 18: 10. Sunt.

Exod: 7: 11:

De Magicis artibus.

Vocauit autem Pharao sapientes et maleficos: et fecerunt etiam ipsi per incantationes ~~[illegible]~~ Ęgyptiacas ~~[illegible]~~ et arcana quędam similiter: 12: Proieceruntque singuli virgas suas quę versę sunt in dracones. Quęres, quot modis possint dęmones et Magi mira facere. Suppono, nec dęmones, nec Magos posse vera miracula facere. Miraculum enim est id, quod omnem naturę vim omnemque causarum naturalium ac hominum et angelorum facultatem superat: possunt tamen facere nonnulla, quę hominum aliarumque rerum naturalium vim superant quę proinde hominibus mira sunt, non miracula.

Dico

De Magicis artibus

Dico primo, mira plerunque, que facit demon, non sunt vera, et
veras, sed tantum prestigiae. Potest enim demon phantasiam
vel oculos ita perstringere et ludificare, ut videre se putent
quod revera non existit, idque primo phantasiam hominum
ita valide commouendo ut imaginentur se videre id quod non existit.
quomodo somniantes putamus nos mira videre, que revera
non sunt. Secundo organum visus turbando quomodo ophthal-
mici mira se videre putant, que revera non sunt, nec videntur.
Tertio, exterius medium immutando quomodo in aquis baculus
rectus videtur fractus vel reflexus. Sic demon dat sagis aurum,
argentum, et cibos subinde, non veros, sed phantasticos; unde
cum ad se redeunt esuriunt, ac si nichil comedissent.

Dico secundo demones mira posse facere per motum localem:
sunt enim celerrimi et fortissimi. Sic primo, Satan igne e
celo demisso oues et pueros Job consumpsit. c. 1. Sic secundo
sustulit Simonem magum in aere, ut volaret, sic hodie
volant sage nostre. Sic ait Albertus Magnus aliquando boues
pluisse, quos videlicet aliunde demones vel Angeli in aera
sustulerant. Tertio, potest demon subito hominem vel rem aliquam
e conspectu omnium subtrahere, atque ita reddere inuisibilem.
Sic Gyges per annulum faciebat se presentibus inuisibilem.
Non potest autem demon facere, ut unum corpus sit in

duobus

duobus locis, aut duo corpora in uno loco. Quarto, potest facere
Dæmon ut statuæ moveantur, ambulent et loquantur; quia ipse
per eas movet, juxta eas sermonem humano similem in aere
efformat. Quinto, potest dæmon cadavera aut larvas hominum
et animalium induere, per eaque quasi viva essent ludificare,
et terrere homines. Sexto, miros effectus amoris, odii, iræ,
tristitiæ, mira etiam phantasmata in homine excitat, commoven-
do humores in corpore, præsertim bilem atram et flavam.

Dico tertio potest dæmon mira efficere applicando activa passivis,
eaque commiscendo per causas naturales; rerum enim natura-
lium miras virtutes ipse peritissime cognoscit.

Hic ergo dæmones aliunde hos dracones adduxerunt, eorque virgis
subito, et imperceptibiliter subductis, earum loco substitue-
runt: ita ut quicumque hæc viderent, magiæ et fraudis ignari,
putarent magos æque ac Aaronem, virgas suas in serpentes
convertisse: et hac ratione Scriptura, quæ more vulgi loqui-
tur, dicit Magos fecisse similiter ac fecerat Aaron.
Idem dico de aliis signis. Corn.

Exod. 22. 18. Maleficos non patieris vivere. Hebr. Maleficam non vivificabis, id est
De Magis vivere non sines, vel in vita non conservabis, sed vitam ei adimes:
sexus enim femineus magis maleficiis, sive veneficiis est obnoxius,
quam virilis, a pari autem per maleficam intellige et maleficum. Corn.

De Magicis artibus

Levit: 19: 26: Non augurabimini. Id est, ut a cantu avium nullam futurorum capietis significationem. Venditis superstitio hic damnatur ad literam, ut dicit Gloss: per partem totum significat, omnes superstitiones condemnans. Qui enim tali curat observare deum videtur infamare tanquam plus scientiae avibus quam hominibus contulerit. Aug.

Nec observabitis somnia. Vanitatem huius superstitionis irridebat Diogenes dicens: Quae vigilantes agitis, ea non curatis; quae vero dormientes somniatis sollicite perquiritis. Ad felicitatem enim vel infelicitatem hominis non tam refert quid patiatur in somniis, quam quid agat vigilans. Ibi quoties aliquid turpe committit oportebat metuere decorem suum ac vitam eventum, non, si quid dormientibus sit visum. Gun.

1. Reg.m 28: 7: Dixitque Saul servis suis: Quaerite mihi mulierem habentem Pythonem. Hoc est, daemonem familiarem, quem D.r vocant ventriloquum, qui scilicet ex ventre mulieris quasi ex utre loquebatur dabatque oracula de futuris cum de iis consulerentur. Hinc Apollo vocatus est Pythius, eo quod ederet oracula, eiusque ministri et ministrae vocati sunt Pythii, et Pythonissae. Hinc rursum omnes magi et divini vocati sunt Pythii, adeoque Python quodlibet divinationis genus significat, sive fiat per necromantiam et suscitationem mortuorum, ut hic, sive per sortilegia, sive per incantationes,

sive

siue quo alio modo.

11: Dixitque ei mulier: Quem suscitabo tibi? Qui ait: Samuelem michi suscita. Quaeritur an uerus fuerit Samuel quem Pythonissa suscitauit. Multi negant, contenduntque esse daemonem siue phantasma statuam et imaginem Samuelis effectam à daemone. Ita Beda et alii. Verum alii plures et potiores affirmant. Ita S. Aug: S. Thom: Lyranus, Dion: S. Aug: Simpliciano respondit super hoc; quod si Dominus permisit se assumi à diabolo, et statui supra pinaculum templi Matth: 4: non est mirum, si occulta dispensatione permisit animam iusti reuocari ut loqueretur Sauli et uideretur. Aug:

Iob. 7: 14: Terrebis me per somnia. Id est, per imaginationes; per uisiones nocturnas / horrore concuties me. Id est, terrore. Diabolus quos uigilantes non superat, dormientes impugnat, quod Deus benigne permittit, ne saltem somnus à passionis praemio uacet. Aug: Fiunt autem sex modis somnia; Aliquando uentris plenitudine, aliquando uentris inanitate. Haec duo experimento scimus. Aliquando illusione tantum. Aliquando illusione simul et cogitatione. Aliquando reuelatione tantum et cogitatione. Hos quatuor modos in S. Scriptura inuenimus. Aug:

De Magicis artibus

Prov: 16: 33: Sortes mittuntur in sinum, / Sinus vocatur urna, aut vas cavum et sinuatum, in quod sortes olim iacebantur, sed à Domino temperantur. q. d. Omnia, etiam fortuita, à Deo reguntur: omnia enim subiacent Dei curę et providentię. Quare ab ea quoque pendere convenit, ut si in sortitione pars nobis optima, aut secus obuenerit, id non casui, vel fortunę cum vulgo sed Deo acceptum feramus. Refellit ergo hic Salomon, docetque fortunam nichil esse, nec fortuito quidquam accidere, sed omnia fieri provido Dei iudicio atque consilio. Etsi enim respectu causarum secundarum, quę contingentes sunt, liberę et incertę, multa fiant casu et fortuito: tamen respectu causę primę, puta Divinę Providentię, nichil est fortuitum: quia omnia etiam fortuita ab eo sunt praevisa et decreta, vel permissa et in certum finem sunt ordinata. Ulterius significat, sortes prę reliquis rebus naturalibus certis et definitis subiacere particulari curę Dei, Deumque sortes peculiari providentia regere et disponere intra terminos tamen providentię ordinarię: Unde in rebus fortuitis recurrendum esse ad Deum, illiusque opem assidue implorandam ut ipse eas regat

et dirigat ad suam gloriam nostrumque bonum. Multae
enim res sunt quae non nisi sorte transigi nequeunt, uti
sunt divisiones hereditatum, praemiorum, officiorum,
beneficiorum, cum aeque digni illa ambiant. Sic sorte
Matthiam elegit et designavit in Apostolum, Act. 1. 26. Sors
Sors antiquitus erat in usu, sed modo non, quia non
sorte, sed arte et aliquando fraude eliguntur Rectores. Aug.
Vana spes et mendacium viro insensato, et somnia extol:
Ecclesiasticus 34: 1: Sunt imprudentes) Docet non esse fidendum somniis
et divinationibus sed Deo, eiusque legi, quod haec sit
vera et fida, illa falsa et infida. q.d. Spes viri stulti
est vana et mendacium, id est, mendax et fallax, adeoque
ipse somniis suis confidit, et superbe extollitur.
Nota. Gentiles, quin et nonnulli e Christianis igno-
rantes naturalem causam insomniorum, quam tradit
Arist. et Physici, opinati sunt ea immitti ab
altiori mente, puta a genio suo vel Deo: cum enim
mens somno sopita sit, censebant eum tunc agi a Deo.
Sic Turcae censent amentes et stultos a Deo agi enthu-
siasmo, ideoque eos venerantur velut divinos et fatidicos,

ac

ac eorum dicta pro oraculis habent. Sed faciunt in honorem sui Mahometi, qui cum laboraret epilepsia fingebat se enthusiasmo agi.

4: Quasi qui apprehendit umbram, et persequitur ventum: sic et qui attendit ad visa mendacia. [Somnia enim sunt figmenta et idola phantasiæ, quæ proinde dum per eam homini dormienti repræsentantur, ipse sibi ea videre et oculis cernere videtur. Corn.

5: Divinatio erroris, et auguria mendacia, et somnia malefacientium, vanitas est. Divinatio erroris dicitur mendax futurorum prædictio. Et hæc divinatio erroris etiam in dæmonibus, qui in obsessis aliquando, quandoque in Pythonibus mendaciter futura prædicunt. Augurium est maleficium quo quis se simulat in garritu avium vel in volatu avium perpendere futura. Mendacium potest dici maleficium aruspicum, qui in fibris animalium circa aras se simulant futura prospicere; vel Astronomorum qui in astris futura considerant. Somnium malefacientium est, quod ex illusione dæmonum

fit.

~~148~~

138.

sit. Hoc totum vanitas est. Aug.

6. Et sicut parturientis mulieris, scilicet in partu vel ad partum laborantis, cor patitur phantasias, ita cor tuum qui credis auguribus et divinis phantasias patitur, scilicet, à phantasmatibus imitatur et trahitur in errorem, nisi ab Altissimo fuerit emissa visitatio, scilicet, gratia illuminans, et discernens, et etiam somnium et visionem, ne dederis in illis cor tuum, ut credas eis.

7. Multos enim errare, id est falsum pro vero credere, fecerunt somnia, et exciderunt à veritate, à gratia, vel à vita, vel à spe, sperantes in illis. Aug.

Ion. 1. 7. Venite et mittamus sortes, et sciamus quare hoc malum sit nobis. Et miserunt sortem et cecidit sors super Ionam. Notat D. Thomas triplicem esse sortem. Prima est divisoria. Hæc licita est, et adhibenda quotiescumque non apparet ratio, cur alter alteri in re aliqua vel utili, vel difficili debeat præferri. Sic fratres hæredi: tatem dividunt sorte: sic milites invadunt oppidum iacta sorte, quæ gens vel acies primò invadere debeat.

Sic princeps in rebellione cum multi sunt rei capitis, dat sortem, ut in quos sors ceciderit, plectantur in exemplum reliquis: ceteris parcens. Huc spectat contractus sortium, qualis est in ludis aleæ. Secunda est consultoria, qua per sortem inquiritur divinum consilium, ut sciatur quid in negotio obscuro sit agendum. Hæc illicita est: pertinet enim ad tentationem Dei, nisi Deus inspiret, aut aliis mediis humanis deficientibus necessitas cogat, suadeatque invocato suppliciter Deo, illa utendum, seque illam directurum, et per illam voluntatem suam declaraturum, ut factum est cum Matthias in Apostolum electus est, Act: 1: 26: Tertia sors est divinatoria, qua inquiritur cognitio veritatis futuræ, vel præsentis, sed arcanæ et occultæ, qualis fuit hæc, qua quærebatur causa, et reus huius procellæ. Hæc pariter illicita est, ni Deus inspiret ea utendum, et per eam rem futuram, vel arcanam indicare velit; uti indicavit furtum Achan per sortem, Josue 7. 14. Unde sortes hæ sive sortilegia æque ac aliæ divinationes et incantationes

-138

140.

Karmnaritur cap: 1. de sortilegiis. Cum enim hic occulta veritas non quaeratur, nec accipiatur à Deo sequitur eam quaeri et accipi à daemone. Ubi dupliciter peccatur. Primò, quod ineatur comercium cum daemone, isque quasi doctor consulatur, qui mendax est, et pater mendacii. Secundò, quod in futuris tribuatur daemoni praenotio futurorum, quae soli Deo est propria: unde daemon tunc tacito quodam pacto et consensu invocatur, tum ut sortes regat, et per eas quid futurum sit prae-significet; tum ut effectum praesignatum ipsa compleri procuret. Corn:

De Severi, et
Apostasia.
Schismate.

De Hæresi

Quid est Hæresis, ac quotuplex? Estne peccatum, et quæ pena eius?

Resp: 1: Hæresis definitur quod sit error pertinax manifeste contrarius Fidei Catholicæ in eo qui fidem Christi professus est. Ita colligitur ex S. Thoma: Declaratur: Hic error ponitur loco generis, puta error in intellectu. Hinc si quis exterius propositiones hæreticas profetur, simulando Hæreticorum cenam sumat, thurificium idola ex metu mortis adoret, uera fide interius retenta, grauissime quidem peccat attamen in foro poli hæreticus non est, licet in foro fori ab Ecclesia (quæ de solis exterioribus iudicat) ut talis habeatur et puniatur. Dicitur secundo (pertinax) seu uoluntarius cum certa scientia. Unde pertinaciter errare in præsenti non est idem quod mordicus suum errorem tueri, sed est cum vertere, etiam quando scit contrarium teneri a reliqua uniuersali Ecclesia Christi, cui suum iudicium præfert, ubi est manifesta pertinacia. Vel melius dico pertinaciam esse tunc quando licet obiectum, u.g. ipsa infallibilitas authoritas Ecclesiæ Romanæ euidenter, sufficienter credibiliter

propo=

...ugando
...act: 3:
...am: 3:

proponatur, ita ut prudenter de eo non possit dubitare, tamen tenet oppositum, à quo nolit dimoveri ullo casu, nisi saltem evidenter clare convictus.

Dicitur 2: Contrarius Fidei Catholicę id est, Romanę, seu veritatibus sive in Scriptura, sive ab Ecclesia, nimirum Papa ex Cathedra loquente vel universali Concilio ad credendum propositis. Dicitur 3: In eo, qui Fidem Christi professus est, seu suscepit etiam solum in Baptismo: quibus verbis excluduntur Pagani, et Iudęi, hi enim non sunt heretici cum nunquam susceperint fidem Christi.

Resp: 1: Heresis est peccatum mortale ut patet ex ipsa definitione. Eius pena est excomunicatio maior latę sententię, Papę reservata: quę ut incurratur requiritur i: ut sit hereticus formalis, et non pure materialis, seu ex ignorantia credens aliquam propositionem hereticam. 2: ut heresis non consistat pure in animo, sed signo aliquo externo sit prodita: Quia Ecclesia in iudicio fori externi non iudicat de internis nec punit solas cogitationes, est tamen peccatum mortale. 3: ut

manifestatur cum animo defendendi hæresim: si enim fiat causa quærendæ instructionis, non incurritur censura. Ex his

Resp: 3: Hæresis alia est pure mentalis, de qua mox dictum est; alia externa quæ si sit mere externa seu simulata, patet de ea in declaratione dicti. Si fidem etiam internam excludat, censuram incurrit.

Resp: 4: Hæretici externi aliquando sunt occulti, aliquando manifesti, sive id possit, sive non possit in iudicio probari. Qui hæresim animo conceptam verbo vel signo sufficiente declarat quantumcunque in occulto etiam nemine vidente censuram incurrit. Ratio: Quia in eo casu est actus ex natura sua in iudicio probabilis et solum per accidens occultus.

Resp: 5: Nihil interest si verbis vel factis hæresis manifestetur, in sensu explicando declaratur. Si quis ex intrinseco motivo hæretico verbis non expresso, diebus vetitis carnes comedat, diebus festis Missam omittat, ad Elevationem in Missa non assurgat, imagines conculcet etc. si in his casibus consideratis circumstantiis loci, temporis, personæ etc. homines talem actum tradiditer accipiant

pro

pro signo hæretico incurritur censura; si vero morali hominum iudicio nulla sit suspicio de hæresi, ut quis putet carnes comedi ex necessitate, velint non audivi, ad Ecclesiam non accessi ex oblivione, censura non incurritur. Breviter dico: Non sufficiunt signa quæ aliquem leviter de Fide suspectum faciunt; sufficiunt tamen regulariter ea quæ vehementem et violentam faciunt suspicionem.

Resp: 6: Hæresis sicut et hæreticus, alia est formalis, alia materialis, ut ante traditum est. Formalis est si sit cum pertinacia ut dictum est; altera quando quis ex simplicitate, vel invincibili ignorantia credit aliquid quod putat vere Fidei esse conforme cum tamen sit ei contrarium, estque paratus errorem deponere quamprimum aliter fuerit instructus. Et tales hæretici mere materiales adhibita morali diligentia iudicari tales, nec peccant peccato hæresis nec incurrunt censuram, possuntque præmissa sufficienti instructione a locorum Ordinariis absolvi, edita etiam prius si id fieri potest coram testibus Fidei professione.

Resp: 7: Qui ex ignorantia crassa, imo et affectata superius

explicata

explicata tenet aliquam propositionem contrariam Ecclesiæ Romanæ, cuius tamen authoritatem agnoscit, corrigi paratus data sibi instructione, non est hæreticus, nec incurrit censuram, quia non est pertinax. Peccat tamen grauiter propter negligentiam, qua non curat, aut non uult scire, quod tenetur scire. Dixi, Cuius authoritatem agnoscit, unde hoc non tenet in illis, qui aliena ab Ecclesia Romana v.g. Lutheri sectam profitentur, vel affectata ignorantia alicuius vel aliquarum veritatum Catholicarum, hi enim hæreticis formalibus annumerandi sunt. Pro maiori intelligentia Nota. Propositiones Fidei repugnantes alias esse hæreticas, alias erroneas, suspectas, male sonantes, scandalosas et temerarias. Hæretica est, quæ manifeste repugnat Fidei Catholicæ. Erronea est quæ repugnat propositioni manifeste per necessariam consequentiam deductæ ex una de Fide. Hinc propositiones veritatibus in Theologia demonstratis contrariæ, sunt erroneæ, si tamen nondum sunt formaliter definitæ ab Ecclesia, nec sint Traditiones nec contineantur in Scriptura Sacra: quia alias essent hæreticæ. Suspecta dicitur quæ, licet absolute possit habere

bonum sensum, considerati tamen circumstantiis (ubi et quando dicatur) suspicionem gignit hæreseor seu hæresim sapit, ut si quis in libris Acatholicorum reperiat hanc propositionem, quæ alias est Catholica: Pater maior me est, est suspecta et hæresim sapit. Male sonans seu piarum aurium offensiva vocatur quæ, licet absolutè probata possit habere bonum sensum, tam male tamen profertur ut offendat, v.g. si quis dicat: Papam non bene vocari Sanctissimum. Scandalosa est, quæ non tantum male sonat sed etiam præbet occasionem ruinæ ut si quis publicè explicaret varia inconvenientia pullulantia ex Confessione: vel, si quis Auditoribus non bene tradere, vel explicaret materiam de Prædestinatione. Tandem temeraria est quæ in doctrina fidei et morum profertur sine aliqua authoritate contra communem Doctorum sententiam.

Quid, et quotuplex est Apostasia.

Resp: Apostasia propriè accepta est reversio à bono quod quis solemniter professus est. Tres sunt species Apostasiæ, nimirum à Fide, quam quis professus est in Baptismo,

ab Ordine sacro, seu statu Clericali quem solemniter suscepit, et à Religione quam per solemnia vota professus est et sine legitima facultate sine proposito revertendi deserit. Apostasia à Fide potest esse totalis, et sic vel est Paganismus, vel Judaismus, vel potest esse partialis, et sic est Hæresis. Judgande.

Quid est Schisma, et in quo ab hæresi differt, et quæ eius pœna?

Resp. 1. Nomen schismatis à scissura animorum vocatum est, scissio autem unitati opponitur unde et peccatum schismatis dicitur et per se opponitur unitati. Et ideò propriè schismatici dicuntur qui propria sponte et ex intentione se ab unitate Ecclesiæ separant qui Summo Pontifici subesse renuunt et qui membris Ecclesiæ ei subiectis communicare recusant. Ita S. Thomas, ut si aliquod Regnum constitueret sibi specialem Episcopum vel Patriarcham cui in spiritualibus obediat aut alios speciales Religionis cultus adhibeat, nolens parere mandatis Summi Pontificis, Pontificatum tamen Romanum aut ullum alium Fidei articulum non negans. Et hoc vocatur schisma purum; si verò

aliquem

148

150.

aliquem Fidei articulum neget dicitur schisma hæresi mixtum.

Resp: 2: Hæresis, et Schisma, ait S. Thomas, distinguuntur secundum ea quibus utrumque per se et directè opponitur. Nam hæresis per se opponitur Fidei, Schisma autem per se opponitur unitati Ecclesiasticæ charitatis. Et ideò sicut Fides et Charitas sunt diversæ virtutes, quamvis quicunque caret fide, careat charitate, ita etiam Schisma et Hæresis sunt diversa vitia, quamvis quicunque est Hæreticus sit etiam Schismaticus sed non è contra. Unde S. Hieron: Inter Schisma, ait, et Hæresim hoc interesse arbitror, quod Hæresis perversum dogma habet, Schisma ab Ecclesia separat.

Resp: 3: Pœna Schismaticorum est excomunicatio latæ sententiæ reservata in Bulla Cenæ. Et meritò, quia per quæ peccat quis, per ea debet puniri, Sap: 11: ut arguit S. Thom: Schismaticus autem peccat separando se à comunione membrorum Ecclesiæ. Ergo. Ex quo infert absolutiones sacramentales à Schismatico sacerdote datas esse nullas, defectu Iurisdictionis, utpote qua propter excomunicationem caret. Explica ulterius: Si quis solum segregaret

se ab Ecclesia quadam particulari, denegans obedientia alicui certo Episcopo, parans tamen obedire Summo Pontifici essetne Schismaticus?

Dico: Non esset, schisma enim est separatio ab Ecclesia universali.

Quid ergo si quis renueret subesse Papae, ut privatus homo est, ex particulari aliquo odio contra eum aut eius familiam, vel nollet obedire uni speciali mandato ob specialem eius difficultatem v.g. de Ieiunio. Dico: Non est schisma quia ad hoc requiritur resistentia facta Summo Pontifici ut tali. Turiano.

Osee: 2: 5: Vadam post amatores meos, qui dant panes mihi, et aquas meas, lanam meam, et linum meum, oleum meum et potum meum. Secundum Glos: ita haeretici competunt, qui aliquos in errore generant, et varia dogmata quasi post amatores varios seruntur quorum panis (inquit S. Hieron: Com:) est sucus perperus, aquae venosa doctrina; lana et linum simulata sanctitas, et imunditia; oleum adulatio; potus S. Scriptura quam ipsi perverterunt. Hug:

Osee 5: 9:

Osee 5: 9: Facti sunt Principes Iuda quasi assumentes terminum scilicet alienum, iura alieni agri et fundi. Trop: Assumentes terminum in fide sunt Heretici, qui transgredientes terminos Religionis à Patribus sanctitos, assumunt sibi quasi idolum heresim Lutheri, Caluini; In moribus verò, qui transgredientes iustitie aut charitatis terminos Decalogo sancitos, assumunt sibi concubinas, usurpant fundos, domos et prędia aliena. Tertium qui actionum suarum scopum et finem sibi prefigunt, non Dei honorem, sed suum, qui ambiunt dignitates et prelaturas, qui nomen et famam non in cęlis, sed in terris aucupantur, qui familias suas prętereo ius et fas euehere et extollere moliuntur. Corn.

Amos 3: 9: ~~Congregamini~~ Auditum facite in ędibus Azoti et in ędibus terrę Ęgypti, et dicite: Congregamini super montes Samarię et uidete insanias multas in medio eius. Hieron: Precipit diuinus sermo, ut gentibus predicetur ut considerent falsam Samariam, id est, Hereticos qui se custodes mandatorum Dei mentiuntur, ut uideant insanias multas,

De Hæreticis

Dum unusquisque quod uult fingit, et figmentu[m] suum colit. Aug.: Prop: Insaniæ sunt figmenta Hæreticoru[m]. Talia sunt hodie Caluini et Lutheri placita: hominem carere libero arbitrio; opera bona nil mereri; fidem solam iustificare; omnia opera sanctorum esse concupiscentia et peccato contaminata; Deum esse auctorem omnium operum, tam maloru[m] quam bonorum; Christum in Cruce quasi desperasse, et pertulisse pœnas damnatorum; uota castitatis Deo nuncupata esse impossibilia, nec seruanda; Deum præcepisse legem impossibilem. An non hæ insaniæ Lymphaticorum, quibus nil insanius uidit hæc ætas. Con.

Matth: 7: 15: Attendite à falsis prophetis, id est, Hæreticis doctoribus. Aug.: Olim Prophetæ erant doctores populi, unde propheta est doctor; falsi ~~doctores~~ ergo sunt Hæretici qui ueniunt ad uos in uestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Vestes ouium quas induunt hi lupi sunt prætendere et obuelare suo errori et hæresi, primò libertatem conscientiæ; secundo sententias S. Scripturæ in speciem suæ

hæresi

heresi faventes: tertiò reformationem morum
Ecclesiae, praesertim Cleri et Ecclesiasticorum: quartò
mansuetudinem, simplicitatem et similitudinem
pietatis: quintò blandiloquentiam et facundam
garrulitatem, quibus tegunt suam lupinam saevi-
tiam seseque in animos audientium callide in-
sinuant ut eos deinde suo errore inficiant et
interficiant, eorumque crumenas emungant,
opesque devorent: ut enim suo ventri serviant,
animas sanctorum perdunt mittuntque in tar-
tara quae sane lupina est voracitas et feritas. Corn.

Act: 20: 29: Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos
Heretici callidi in fide, fortes in disputatione, crudeles in
occisione / non parcentes gregi / 30 / Et ex vobis ipsis
exurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos
post se / In superbiae elatione. Lib: Cyp: Paulus hic verus
fuit vates: nam adhuc eo vivente insurrexerunt Hyme-
neus, Alexander, Phygellus, Hermogenes & S. Chry.
Nonne lupis heretici comparandi sunt qui insidiantur
ovibus Christi, fremunt circa caulas nocturno magis

Ex Aqueri c.

tempore quam diurna. Semper enim perfidiis nota
est, qui sue nebulis interpretatione fuscare conantur.
Versantur ergo circa caulas, stabula tamen Christi
intrare non audent. Explorant pastoris absentiam,
et ideo pastores Ecclesiarum vel necare, vel in
exilium agere contendunt: quia praesentibus pastoribus
oves Christi inuolare non possunt: mentis intentione
duri ac rigidi, nequaquam valent a suo errore deflectere.
Si quem versuta mentis suae circumspectione praeue-
nirit, faciunt obmutescere: si autem commenta impietatis
eius agnoueris, iacturam piae uocis timere non poteris.
Animam petunt, guttur inuadunt, uitalibus uulnus
affigunt. Graues sunt morsus haereticorum, qui ipsis
grauiores et rapaciores bestiis nullum auaritiae finem
impietatisque nouerunt. Vestitum ouis habent, facta
praedonis: foris ouis, intus lupus est. Nonne uobis uidetur
lupus, qui humanae necis insatiabili crudelitate, fidelium
morte populorum rabiem suam explere desiderat. Vlulat iste,
non tractat, qui negat uocis auctorem, et sacrilego sermone
bestiale murmur interstrepit, qui non confitetur Dominum
Iesum Christum praesulem uitae. Com.

i ad Timoth. 6. c.

1. ad Timoth: 6: 3. Si quis aliter docet et non acquiescit sanis sermonibus
Domini nostri Iesu Christi (qui per me loquitur)
et ei quæ secundum pietatem est doctrinæ (4) superbus
est, nihil sciens (veritatis. Prov: 11 Ubi humilitas,
ibi sapientia, Ergo à contrario, ubi superbia, ibi insipientia.)
sed languens (ex defectu scientiæ, et ex defectu gratiæ)
circa quæstiones (verum) et pugnas verborum. Signan-
ter dicit: Circa, Tales enim non possunt intrare in
veritatis agnitionem, sed extra circumferuntur) ex quibus
oriuntur invidiæ, contentiones. Hic typus est, character
et origo omnis hæresis. Huius autem superbiæ clarissimum
est argumentum, quod hæretici adeo sibi placeant, ut
neque Ecclesiæ, neque etiam Euangelio credere velint,
nisi in iis rebus quæ sibi placent. Unde Aug: ubique
tergiversatio vestra, ò Manichei, contunditur, aperte
dicitis vos non credere Christi Euangelio: nam qui
in Euangelio quod vultis creditis, quod vultis non cre-
ditis, vobis potius quam Euangelio creditis. Qua de
causa rarò hæretici disputando (nolunt enim vinci videri)
sed magis orando convertuntur. Cavi.

2. Petr: 2: 1: Fuerunt verò et pseudoprophetæ in populo (Hebræorum

157
157

qui erant populus et Ecclesia Dei veri, sicut et in
vobis erunt magistri mendaces. Toto hoc capite S.
Petrus ideam hæretici graphice describit. Horum pri:
mus tempore S. Petri fuit Simon Magus, cui
successit Menander discipulus, deinde Saturninus,
Basilides, Ebion, Cherintus, Nicolaitæ: mox vero
futuri erant Gnostici, Valentiniani, Montanistæ, Mar:
cionitæ q. Qui introducent sectas perditionis, hæ:
reses, scilicet, quæ ducunt in exitium tum præsens,
tum æternum. Et eum qui emit eos, Dominum negant
Id faciunt tum quia plereque hæreses negarunt
Christi vel divinitatem vel humanitatem vel ani:
mam vel voluntatem vel redemptionem, vel gravia:
aut Christo indigna aut blasphema ascribunt, ut
ignorantiam, desperationem, damnationem, ut fecit
Calvinus: qui enim hæc asserit, negat Christum es:
se Redemptorem, non verbo, sed re ipsa: tum quia
Christi Sacramenta, fidem, et doctrinã et Ecclesiã
impugnant. Superducentes sibi celerem perditionem.

BIBLIOTHECA SEMINARII CONCORDIENSIS

rum quia post mortem, quę in hac vita adeo breui
eis accelerat et instat acceperunt sibi ignem ęternum.
Plerique etiam heresiarchę infelici, celeri et infami
morte sublati sunt. Simon Magus arte magica
uolans per preces S. Petri deiectus in Capitolio
in ~~pro~~ preceps ruens crura fregit, ac paulo post ex
dolore expirauit. ~~Manes~~ Manes, qui se Mani-
chęum quasi effusorem mannę nuncupauit a Rege
Persarum excoriatus est; eo quod eius filium quem cura-
turum se promiserat, occidisset. Montanus cum suis
prophetissis laqueo se præfocauit. Donatistę Euchari-
stiam canibus proiicientes ab eis discerpti sunt. Arrius
uadens ad Ecclesiam, eam occupaturus, dolore alui cor-
reptus in Latrinis intestina cum anima effudit. Julia-
nus Apostata pugnans contra Persas celesti telo ictus
interiit. Priscillianus à Maximo tyranno capite plexus est.
Leo Armenus iconoclasta in ipsa Ecclesia necatus est.
Heraclius Imp: factus Monothelita subitam fedamque
mortem obiit, cum non nisi in vultum proprium min-
gere posset. Valens Arrianus à Gothis victus fugiens

in casam, in ea ab eisdem concrematus est. Nestorii lingua blasphemam exederunt vermes. Henricus Arrianus persecutor fidelium à vermibus consumptus est. Anastasius Imp. Eutychianus fulmine ictus occubuit. Lutherus post lautam cænam nocte suffocatus interiit. Zuinglius in bello Helvetico promittens se omnia Catholicorum tela excepturum ab iisdem interemptus est. Andr. Carolstadius à dæmone abreptus non comparuit. Caluinus instar Herodis à vermibus consumptus, blasphemans et deierans infelicem animam exhalauit. Cornel.

2. Et multi sequentur eorum luxurias. Ait S. Hieron. quod nulla hæresis nisi propter gulam ventremque construitur, ut seducat mulierculas oneratas peccatis. Idem. difficile est inuenire hæreticum qui diligat castitatem. Nota sunt sacrilegia et libidines portentosæ Caluini, Lutheri, Bezæ et cæterorum. Facetiùs Thomas Morus arguere cuidam obiicienti, plurimos ad Lutheri sectam se conferre, ideoque eam uideri veram, respondit. Non

porci post te currant, quos gehennę succidę nutriū. Cont:
Coinquinationes et maculę| Id est, coinquinatissimi
sunt et maculatissimi: simili tropo hominem scele-
rum uocamus scelus| delicijs affluentes, in conuiuijs
suis luxuriantes uobiscum| id est, inter uos et de uobis
q.d. Insidiantur uestrę castitati, et secum de uobis mente,
oculis et tactu exercent suas libidines ut ad easdem
pleno opere complendas uos alliciant. Audi macula
et obscęnitatem apud Gnosticos describentem Minutiū
Felicemq. Ad epulas solemni die coeunt cum omni-
bus, liberis, sororibus, matribus, sexus omnis homines,
et omnis ętatis. Illic post multas epulas ubi conui-
uium caluit et incestę libidinis feruor exarsit, canis
qui candelabro nexus est, iactu offulę ultra spatium
lineę, qua uinctus est, ad impetum et saltum prouo-
catur. Sic euerso atque extincto conscio lumine, im-
pudentibus tenebris nexus nefandę cupiditatis inuoluunt.|
Idem de Carpocratianis ~~de~~scribit Clemens Alexandr.
addens illos ad hanc promiscuā et infandam libidinem
sacrilegę abusos illo dicto Christi Luc: 6: 30: Omni

pet

fieri tenui re tribue. Huic similes sunt hodie non-
nulli Anabaptistę, et Adamitę quorum parens et
choragus fuit Lutherus, qui totos dies in conui-
uiis compotationibus et cubilibus exigebat, ibique
cudebat suas hęreses, idque ad hoc, ut remorsum
conscientię oblatrantis, sibique iugiter apostasiam
obiectantis, in uino sepeliret: quod et suis ut face-
rent suadebat.

14. Oculos habentes plenos adulterii / Ierem: Thr: 3: 51:
Oculus meus depredatus est animam meā/ et incessabilis
delicti. Lutherus, cum esset sacerdos et monachus castita-
tem uoto solemni professus scribit: Quam non est in
meis uiribus situm ut uir sim, tam non est mei iuris
ut absque muliere sim: et feminę sociari tam est neces-
sarium, quam edere et bibere. In Scotia testatur quidam,
Ministrorum fere neminem esse qui ab aliorum uel uxo-
ribus, uel ancillis sibi temperet. / pellicientes animas insta-
biles / id est inescantes animas imbecilles, non bene in
fide et castitate firmas et solidatas. Docent Caluinistę ne-
minem debere resistere cupiditati aut libidini, quia nimium

est à Deo, qui est auctor omnium motuum et actionum tam malarum, quam bonarum, cui semper et in omnibus est obsequendum idque sine pudore vel scrupulo, quia motionum diuinarum neminem pudere debet.) Cor exercitatum auaritia habentes (docent enim usuras esse licitas) maledictionis filii. digni, scilicet, execratione et maledictione eterna.

15: Derelinquentes uiam rectam (fidei et ueritatis) errauerunt, secuti uiam (normam et mores) Balaam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amauit (nimirum munera Balac Regis Moab quę adamans Balaam uoluit maledicere populo Dei, Num: 22. 23. docet hęresiarchas studere auaritię, sicut studuit Balaam, ideoque fingere errores gratos populo.

17. Hi sunt fontes sine aqua (quia uitalis aquę, id est, doctrinę sanę experses.) et nebulę turbidinibus agitatę (Comparat hęresiarchas nebulis, quę à turbidinibus, id est, uentis in gyrum rotantibus, aut uentis contrariis inter se confligentibus quaquauersum agitantur et rapiuntur, itaque depelluntur et euanescunt. Sic enim hęretici spiritu

vertiginis et quasi turbine errorum aguntur ut in-
ter se contraria doceant, et acerrimè confligant, iuxta
illud Isai. 19. v. Concurrere faciam Ęgyptios adver-
sus Ęgyptios. S. Aug. Cupiuit, ait, per hęreticos dia-
bolus efficere, ut in Ecclesia essent liberę dissensio-
nes, quomodo erant in Academiis Philosophorum,
ut, sicut illę per multas diuisiones tandem interierunt,
et ab inuicem consumuntur, ita fieret in Ecclesia.
18. Superba enim uanitatis loquentes, pelliciunt /inescant/ in de-
sideriis /per desideria quasi per escam/ carnis luxurię/
id est, carnalis luxurię. Esca ad luxuriam et consequen-
ter ad hęresim, ab hęreticis multiplex datur. Primò,
Lutherus hanc dedit: quod castitas sit impossibilis, luxuria
uero homini tam necessaria, quam edere et bibere. Se-
cunda est communis hęreticorum, scilicet curanda esse
pręsentia certa, non futura incerta. Unde uel palam,
uel tacite negant animę immortalitatem. Tertia est Caluini,
quod Deus sit auctor omnium motuum et actionum,
tam malarum, quam bonarum. Ex hoc enim eius principio

eius

eius discipuli Libertini duas eliciunt regulas, quas ipse Calvinus recenset dicens: p.mo Cum omnia sint opera Dei, licet hominibus velut saxis habenis quidquid in mentem venerit agere non solum quia remotum extra periculum peccandi, sed etiam quia desiderium aliquod cohibere est impedire Deum. Ita scortationes et rapinae à Deo probabuntur, cuius sunt opera: ita non est curandum ut rapta restituantur, quia non est conveniens ut Deus corrigatur. Secunda: Ne quis ullius rei conscientia moveatur. Nec hoc solum ex superius positis consequitur, sed idipsum illi confitentur: atque adeo id praecipue sibi proponunt, ut sopiant conscientias, quo omni solicitudine vacui homines perpetrent quidquid se offerat, quidquid appetierint. Hinc Epicurismus invaluit, et in dies magis invalescit.

19: Libertatem illis promittentes, tum à peccato, tum à lege, tum à subiectione dominorum et principum, ut libere agant quidquid libet: luxuriam enim dicunt non esse peccatum, sed opus Dei et naturae, cum ipsi servi sint

corruptionis | puta libidinis et voluptatis quę animum
et corpus corrumpit. Com.

41 Melius enim | non positive, sed negative quia minus malū |
erat illis non agnoscere viam iustitię | id est, institutū
et Religionem Christianam | quam post agnitionem, retror-
sum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto
mandato. Loquitur S. Petrus de apostasia à sancta
Christi fide et lege, ad sectam hæreticorū.

42 Contigit autem eis illud veri proverbii: Canis reversus
ad suum vomitum, et sus lota in volutabro luti.
Comparat relapsos à Christianismo in
hæresim et Gentilismum, canibus et suibus. Com.

Iohan: 1: 6: Si dixerimus quoniam | quod | societatem habemus cum eo et in
tenebris | errorum et peccatorū | ambulamus, mentimur
Perstringit Gnosticos illo quo docentes | uti nostro tempore
Lutherani et Calvinistę | fideles omnes esse prędestinatos,
eosque sola fide salvari, ac proinde etiamsi peccent et
turpiter vivant, manere tamen in Dei prędestinatione
et gratia, certoque salvandos. Com.

Iohan 2. 10. Si quis venit ad nos et hanc doctrinam | Catholicam, scilicet |

non affert, nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis. Non tantum consulit S. Johannes ut fidelis haereticum hospitio non recipiat, sed nec Ave ei dicat. Loquitur autem de haereticis dogmatistis, qui in domos matronarum, nobilium et potentium irrepebant, ut haereses suas occulte docerent et spargerent. Nota. Non tantum iure humano et canonico, quod post S. Johannem ediderunt Pontifices et Concilia, sed et iure divino ac naturae, fugiendi sunt haeretici in tribus casibus. Primus est, cum est periculum ne tu vel tui ab eis perverteremini, quod ordinarie subesse solet. Nam sermo eorum ut cancer serpit, ait S. Paulus 2. Tim: 2: 17: Secundus, cum suscipiendo eum videris eius haeresi favere, eamque tacite profiteri aut adiuvare. Tertius, cum scandalum aliis creas, ut ipsi putent te haeresis et haereticorum hospitem et patronum, utque ipsi ad idem faciendum tuo exemplo incitentur. Hisce casibus exceptis iure divino et naturae non vetatur communicatio

cum haereticis, perscriptim si necessitas, pietas, aut qualis
utilitas eam suadeat. Cavendi quoque sunt libri hae-
reticorum; illi enim permittentes occulte haeresim
suam, quasi per rem specie elegantiae et sapientiae ani-
mis legentium instillant. Hoc saeculo (1600) haere-
sis Lutheri et Calvini per tot regna sparsa est per
libros eorum: si eam vellis tollere, tolle eorum libros
et ministros. Constantinus Magnus sub poena mortis
jussit libros Arrianorum exuri. Corn.

Judae v. 4. Subintroierunt enim quidam homines, qui olim (ab aeterno)
praescripti sunt (scilicet proscripti a Deo) in hoc iudicium (in
condemnationem aeternam) impii, Dei nostri gratiam transfe-
rentes in luxuriam. Gratiam vocat legem Evangelicam q.d.
Christianismo abutuntur ad luxuriam, Christianismum
convertunt in priapismum, legem gratiae, puritatis et vir-
tutis vertunt in licentiam dedecorum, turpitudinum
omniumque scelerum: docentes Christianismum esse legem
libertatis, ac proinde Christianis licere libere indul-
gere concupiscentiae gulae et veneri. Notat Nicolaitas,
Simonianos, Gnosticos, qui cum essent impurissimi, simulabant

ae

se pari Euangelii esse doctores, eoque pretextu mulieres onustas peccatis abducebant, instituentes nocturna sacra, in quibus omnem obscænitatem promiscuè perpetrabant. Adeo verò obsceni erant Gnostici, ut dicti sint Borborite, id est, cænosi, quia ipsas etiam S. historias et Scripturas ad suas libidines explicando trahucebant. Simili modo Lutherus, et Calvinus ceterique moderni hæretici, quatiam et decus Christianismi transferunt in carnis licentiam et luxuriam: Quocirca S. Aug: hæreticos comparat onagris, id est, asinis feris et silvestribus, tum ob feritatem, tum ob libidinem (est enim onager salacissimus) tum quia omne iugum excutiunt. De Simone Mago primo hæresiarcha ita scribit Tertullianus: Helenem quamdam Tyriam de loco libidinis publicæ eadem pecunia redemit (qua scilicet voluerat à S. Petro emere donum Spiritus Sancti) dignam sibi mercedem pro Spiritu Sancto. Corn:

Jo: Hi autem quaecumque quidem ignorant blasphemant.
Ita Arriani, Macedoniani, Sabelliani cum non
caperent mysterium S.^mae Trinitatis, illud nega=
runt et blasphemarunt. Ita hodie Calviniani et
Zuingliani, quia non capiunt Dei omnipotentiam
in mysterio Eucharistiae, illud negant et blasphemant.
Haereticis enim ratio credendi est sensus et
ratio naturalis, non fides, non Dei verbum omni=
potens. Quod vident et intelligunt, credunt: quod
non intelligunt, credere nolunt. Quocirca Iren.
ait contra haereticos victoriam esse, sententiae
eorum manifestationem, et S. Hieron. Senten=
tias, inquit, illorum prodidisse, superasse est.
Porro ignorantiae haereticorum causae sunt tres.
Prima est, superbia; secunda levitas; tertia vo=
luptas et concupiscentia. Nam ut ait Archytas:
Impedit consilium voluptas rationi inimica, ac
mentis perstringit oculos, nec habet ullum cum vir=
tute commercium. (quaecumque autem naturaliter

tanquam muta (irrationalia) animalia noverunt)
pura ventrem et venerem (in his corrumpuntur
vitiando et foedando sua corpora et mentes turpi
gula et obscenis libidinibus, instar porcorum et ca:
num, imò turpius quam sues et canes. Com:

Apocal: 16: 13: Et vidi de ore draconis, et de ore bestiae, et de ore pseudoprophetae
spiritus tres immundos in modum ranarum. Symbolicè,
Rana est inverecunda, obstrepera, curiosa, obscena,
stolida, ideoque loquax. Hinc significat haeresim et
haereticos stolidos, loquaces, curiosos et obstreperos.
Quocirca Fridericus Staphylus libro de Lutheranorum
concordia 2 hasce tres ranas adaptat tribus sectis
quae à Luthero promanarunt. Prima est Anabaptis:
tarum, quorum pater est Rothmanus. Secunda
est Sacramentariorum quorum auctor est Carolstadius,
ex quo Zuinglius et Calvinus prognati sunt. Tertia
est Protestantium, quorum dux est Malanchton. Com:

9123.

178

De Simonia.

138:

De Simonia.

Quaero 1. Quid quotuplex et quantum peccatum est Simonia? Quae eius materia? quodnam peccatum in ea?

Resp: 1. Simonia nomen habet à Simone Mago, qui Act. 8. Apostolis obtulit pecuniam ad emendam spiritualem potestatem, ut scilicet quibuscunque manus imponeret, reciperent Spiritum Sanctum, sed Petrus in ipsa sui radice Simonis pravitatem condemnans dixit: Pecunia tua tecum sit ~~in~~ tibi in perditionem quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.

Resp: 2. Simonia definitur à S. Thoma, quod sit studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquod spirituale, vel spirituali annexum pro temporali. Explicatur definitio. Dicitur 1. voluntas id est, actus, seu vitium voluntatis; nam iustitia, et omnes eius partes, seu species, adeoque et vitia opposita sunt in voluntate, ut in subiecto. Eadem particula indicat Simoniam posse consistere in solo actu interno voluntatis: Unde frustra à Canonistis additur sit opere consumato. Dicitur 2. studiosa ad designandam electionem, seu deliberationem, vel formalem, vel virtualem, et ad excludendam Simoniam materialem, quae procedit ex inculpabili ignorantia. Dicitur 3. Emendi et vendendi in lata significatione, sic ut comprehendantur omnes contractus utrinque

obligatorius

obligatorium; Dicitur 2. Aliquid spirituale per quod intelligitur aliquid supernaturale seu pertinens ad salutem supernaturalem à Deo proveniens, vel ordinatum ad Deum, ut Authorem Gratiæ. Hoc spirituale est triplex: Primum quod est spirituale in se, et essentia sua, v.g. Gratia et Iurisdictio Ecclesiastica. Secundum est tale ratione effectus spiritualis in se causati, ut Sacramenta Novæ Legis. Tertium ratione causæ, quia nimirum producitur à causa supernaturali spirituali, v.g. sanitas collata per gratiam miraculorum formaliter ut sic considerata, aliique effectus gratiæ gratis datæ, ut Prophetiæ, aut Locorum vel rerum consecrationes, benedictionesque. Dicitur 3. Spirituali annexum, id est, quod in se non est spirituale, sed spirituali annexum ab eoque dependens, v.g. labor in ministerio Sacramentorum, ius Patronatus, Sepulturæ, Calix consecratus, Canonicatus, Beneficiaque. Additum est in definitione 4. pro temporali, id est, pro pecunia, intelligendo per pecuniam quidquid pecunia estimari potest.

Resp. 3. Simonia variè dividitur, nimirum in mentalem, conventionalem, realem, confidentialem, prohibitam iure naturæ, et prohibitam iure positivo Ecclesiastico.

mentalis

De Simonia.

Mentalis est duplex: una pure talis, consistens in nudo proposito, seu voluntate pro temporali emendi, vel vendendi spirituale, v.g. Canonicatum, sed sine actu externo, seu executione: altera non pure mentalis, in qua, licet ex natura actionis, vel circumstantiarum voluntas spirituale emendi, aut vendendi non declaretur, proceditur tamen ad opus externum, nimirum spirituale pro temporali, vel è contra mente, et intentione simoniaca recipiendo v.g. pecuniam pro ipsa Missa, non pro sustentatione Ministri, nullo dato signo huius intentionis.

Conventionalis est, qua expresse, vel tacite initur contractus super re spirituali emenda, vel vendenda, sed contractus nondum est executioni mandatus.

Realis completa, et simpliciter talis est, qua expresse vel tacite, ut verbo, nutu, vel alio signo, pactum est de re spirituali pro temporali, sic ut pactum ab utraque parte sit executioni mandatum vel in totum, ut si totum pretium sit solutum. vel in partem eius. Si verò traditio rei spiritualis quidem sit facta post pactum, sed temporale non receptum etiam pro parte, vocatur à quibusdam semi-realis.

Confidentialis à Pio 4. et 5. damnata est, qua Beneficium Ecclesiasticum, simplex, aut curatum regulare vel seculare alicui procuratur eligendo, praesentando, confirmando, instituendo, resignando, cum certa confidentia, id est, expresso, vel tacito pacto, ut is, cui procuratur,

post

post aliquod tempus, procurarit, vel alteri resignet, vel ex eo prestet
pensionem, aut fructus.

Simonia Iure naturę, vel Ecclesię prohibita declaratur. Prima est prohibita, quia mala, altera mala, quia prohibita. Ecclesia enim sua lege potest facere ut id quod secundum se, et quoad partem temporalem non erat vendibile, fiat tale ob connexionem cum re spirituali, et reverentiam eius. Hęc Simonia committitur in permutatione Beneficiorum facta sine Superioris authoritate, ubi non datur spirituale pro temporali sed spirituale pro spirituali, quod ex se non est malum, cum possit fieri cum Superioris licentia; sed est malum quia prohibitum ab Ecclesia inhibente tales permutationes, et pacta, quia videntur fieri, vel est periculum, ne fiant intuitu comodi temporalis. Talis pariter Simonia est, si Beneficiorum presentationes vel collationes fiant cum pacto vel conditione, alioquin forte licita, sed defacto prohibita ab Ecclesia. Item, si vendantur aliqua quę revera nihil spirituale continent, nec proprie ad aliquid spirituale ordinantur, v.g. officia pro administrandis temporalibus instituta et sic cum eis aliquo modo coniuncta, ut Oeconomia, Vicedominatus, quę Ecclesia vendi prohibet ob periculum, et presumptionem Simonię quę in iis saltem est imperfecta, habens similitudinem cum perfecta.

De Simonia.

Resp: 13. Simonia ex genere suo ita est peccatum mortale, ut nunquam propter parvitatem materiae sit veniale. Ratio: Tum quia nulla res in tam parvo gradu potest esse spiritualis, quin sit magna Dei injuria, eam velle pretio aestimare. Tum etiam quia quo minus pretium pro re spirituali datur, tanto magis videtur vilipendi. Nisi forte ob rei temporalis pro spirituali datae exilitatem judicari possit, eam non esse datam ut pretium: Sed tunc nec Simonia nec peccatum erit.

Not: 1. Inter Propositiones ab Innocentio XI. damnatas esse hanc n.° 45. Dare temporale pro spirituali non est Simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed dumtaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra. Et hanc n.° 46. Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale, imo etiam si sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris aestimetur, quam res spiritualis.

Not: 2. Simoniam nunquam committi, nisi adsit pactum. Unde qui sine ullo pacto, vel obligatione post acceptum beneficium, aliamve rem spiritualem, illi, a quo accepit, animi grati causa aliquid dat, non peccat, sicut solet aliquid dari etiam Episcopis post consecrata altaria etc. Sed dare ante collationem Beneficii, ut ex quadam gratitudine, sine pacto tamen, dato quod excusetur a Simonia formali, non tamen

a

à praesumptione; nam munera excaecant etiam sapientes et inclinant,
ut beneficium indigno magis conferatur, quam digno. Idem est, si quis
Episcopus aliquem famulum pareret vel pro modico pretio, vel
omnino gratis serviret spe obtinendi beneficii tanquam mercedis,
quia, vel esset scandalum aut species Simoniae, vel implicitum pactum
eius, vel etiam vera Simonia. Si tamen famulus nil aliud atten-
deret, quam suam idoneitatem Episcopo manifestare et Episcopus
eam probare, et deesset omne scandalum, non esset peccatum.

Resp. 4. Materia Simoniae est res spiritualis, vel spirituali annexa
ut dictum est. Sed haec late patet, et complectitur Sacramenta
Missas, preces, sepulturas, res benedictas, usum earum, iurisdictio-
nem spiritualem, ingressum Religionis, ius decimandi, ius patro-
natus, beneficia Ecclesiastica, transactiones super ea, et similia,
de quibus omnibus agetur.

Resp. 5. Pretium in Simonia solet vocari munus, non inquantum haec
vox significat liberale donum, sed onus ac debitum iustitiae
commutativae. Dividitur à S. Thoma in munus à manu, munus
à lingua, munus ab obsequio. Primum est pecunia, sive quaevis
res pecunia aestimabilis. Munus à lingua consistit in sermone
laudis, vel vituperio, ut si quis aliquem laudet apud Principem,
vel inimicum eius apud eundem vituperet. Munus ab obsequio

consistit

consistit in servitio uel temporali ministerio quod quis alteri exhibet. Triplex hoc munus, cum sit pretio ęstimabile, et possit dari per modum mercedis, et ad temporalem utilitatem ordinari, potest facere simoniam, dummodo adsit pactum, uel expressum, uel implicitum, seu tacitum, immo etiam si laus, uel obsequium solum intendatur tanquam merces pro beneficio collato, uel conferendo.

Quero 11. Qua ratione liceat accipere pretium pro administratione Sacramentorum, pro Missa, precibus, Benedictionibus, actu Iurisdictionis spiritualis, Sepulturis, Ingressu Religionis.

Resp. 1. Quando in Sacramentorum administratione, u.g. Baptismi, Penitentię, Extremę unctionis, uel Missę, aut pro precibus sive gratis, siue ex antiqua consuetudine, aut Superiorum Statuto aliquid datur, non est simonia. Est communis Sententia. Ratio S. D. est: Quia non datur pro re ipsa, aut actione spirituali, sed pro sustentatione ministrorum, uel pauperum precibus persoluentium, iuxta illud 1. Cor. 9. Quis militat suis stipendiis unquam? quis pascit gregem, et de lacte gregis non manducat?

Nota 1. Quod ne ibi simonia committatur, debet abesse intentio

emptionis et venditionis, et quod ab invitis non exigatur per subtractionem spiritualem, quę exhibenda sunt, v.g. puerum non baptizando, cadavera non sepeliendo, quia hoc esset scandalosum, et species Simonię. Gratis tamen spiritualibus prius exhibitis licite possunt statuę et consuetę oblationes, et quicunque alii proventus, authoritate superioris interveniente exigi a nolentibus, et solvere valentibus. Nota r. Quod illicita esset ordinario, si in aliqua Ecclesia statueretur, quod non fieret processio in funere alicuius, nisi solveret certam pecunię quantitatem, quia per tale statutum pręcluderetur via gratis officium pietatis aliquibus impendendi: magis autem licita esset ordinario, si statueretur quod omnibus certam eleemosynam dantibus talis honor exhiberetur, quia per hoc non pręcluderetur via alias exhibendi. Et propterea prima ordinatio habet speciem exactionis, secunda autem gratuitę recompensationis.

R. Nota

Resp. r.: Clericus, qui magis principaliter chorum frequentat, horas canonicas recitat, propter temporale, ac quotidianas distributiones, committit Simoniam saltem mentalem. Si vero temporale sit solum motivum secundarium respiciens congruam sustentationem, principale autem sit honor Dei, non peccat. Sed caute attendendum,

ne

De Simonia

ne mentiantur iniquitas sibi. Idem est de Sacerdote, qui nolet celebrare, vel concionari, nisi sibi suppeditetur victus. Cavendum tamen ne detur scandalum super hoc. Est hec clara mens S. Thomę et ratio patet ex dictis.

Resp: 3. Pro actibus, qui consecratione, aut benedictione perficiuntur, ut consecratio Episcoporum, benedictio Abbatum, velatio virginum, non potest aliquid accipi, vel exigi per modum pretii. Ita S. D.o qui addit: Licet tamen eis (scilicet ministrum spiritualem potestatem exercentibus) accipere procurationes, quando subditos visitant, non quasi pretium correctionis, sed quasi debitum stipendium.

Resp: 4. De collatione Ordinum Trid.m sic statuit: Quoniam ab Ecclesiastico Ordine omnis avaritię suspicio abesse debet, nihil pro collatione quorumcunque Ordinum, etiam Clericalis Tonsurę, nec pro litteris dimissoriis, aut testimonialibus, nec pro sigillo, nec alia quacunque de causa, etiam sponte oblatum, Episcopi et alii Ordinum collatores, aut eorum ministri quovis pretextu accipiant. Notarii vero in iis tantum locis, in quibus non viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi, pro singulis litteris dimissoriis, aut testimonialibus decimam tantum unius aurei partem accipere possint, dummodo eis nullum salarium sit constitutum pro officio exercendo, nec Episcopo ex Notarii commodis aliquod emolumentum

ex

ex Ordinum collationibus directe, vel indirecte provenire possit:
tunc enim gravis operam suam eos prestare omnino teneri de-
cevit, contrarias taxas, ac statuta, et consuetudines etiam immemo-
rabiles quorumcunque locorum, quæ potius abusus, et corruptelæ,
simoniacæ pravitati faventes nuncupari possunt, penitus cas-
sando, et interdicendo. Et qui secus fecerint, tam dantes, quam
accipientes, ultra divinam ultionem, pœnas à iure inflictas
ipso facto incurrunt. Ses. Trid: Adde quod si Notarius ascen-
dendo pro dignitate et gradu Ordinum plus accipiat, et exigat
u.g. plus pro testimonialibus de Diaconatu, quam ~~de~~ pro Subdia-
conatu, est Simonia, quia taxat, ac vendit dignitatem Ordinum,
quæ taxabilis non est. Idem est si plus exigat quam Concil: statuit.
Et graviter peccat Episcopus, si directe, vel indirecte in his participet.

Oppono: In ipsa Roma, et Legatorum Papalium Curia non datur
dispensatio sine pecunia, imò Papa vendit Officia, quibus annecti-
tur iurisdictio spiritualis. Ergo.

Ad hoc Resp: non dari ut pretium dispensationis, sed ob varias causas
exigi. 1. Interdum est pœna delicti, u.g. in irregularitatibus ex homi-
cidio, ~~vel~~ vel alio delicto ortis, aut in affinitate contracta ex copula
illicita. Unde, et quo gravius delictum, eo maior pœna pecuniaria
imponitur, præsertim si et petens sit ditior: quamvis enim,

quæ

quæ respectu pauperis est magna, respectu divitis censetur parva.

2. Dari pro sustentatione Ministrorum vel etiam Legatorum aut ipsiusmet Papæ, eo fere modo, quo Parochis aliquid datur. Porrò Papa non vendit officia ratione annexæ Iurisdictionis spiritualis, sed ratione emolumentorum ex iis consequentium, quorum partem sibi pro bono Ecclesiæ servat, vel vendit ius ad illa.

Resp: 5. Simoniacum est (saltem ex Iure Ecclesiastico) exigere aliquid, ut pretium pro iure sepulturæ, ut quis in certæ Ecclesiis, vel Cemeterii loco sepeliatur. Licet ipse fundus ad usum sepulturæ sacræ emi possit exemplo Abrahæ Gen: 23. ut notat S. Thomas. Sicut et vasa sacra et vestimenta possunt vendi, modo nulla: tenus æstimetur ipsa consecratio.

Resp: 6. Si occasione sepulturæ sponte quid offeratur, potest accipi. Et si sit consuetudo loci, ut aliquid detur pro conservatione Cæmeterii, aut sustentatione Ministrorum Ecclesiæ, illa servetur: modò desit turpis exactio, et species avaritiæ. Item pro loco sublimiori, seu eminentiori, præsertim reservato, ut nullus alius in eo possit sepeliri, potest plus exigi. Et ita est praxis.

Resp: 7. De ingressu Religionis S. Thomas sic discurrit: Pro ingressu Monasterii non licet aliquid exigere, vel accipere quasi pretium. Licet tamen, si Monasterium sit tenue, quod non sufficit ad tot

personas nutriendas, quam quidem ingressum Monasterii exhibere, sed accipere aliquid pro victu personae, quae in Monasterio fuerit recipienda, si ad hoc non sufficiant Monasterii opes. Similiter etiam licitum est, si propter devotionem quam aliquis ad Monasterium ostendit, largas eleemosynas faciendo facilius in Monasterio recipiatur. Sicut etiam licitum est aliquem e converso provocare ad devotionem Monasterii per temporalia beneficia, ut ex hoc inclinetur ad Monasterii ingressum: licet non sit licitum ex pacto aliquid dare, vel recipere pro ingressu Monasterii. Haec S. D.^r

Quid sentis de Novitio egrediente, an teneatur solvere expensas pro ipso in victu, vestitu, medicinis factas? Trid.^m super hoc sic statuit. Neque ante Professionem, excepto victu et vestitu, Novitii, vel Novitiae illius temporis, quo in probatione est, quocumque praetextu à Parentibus vel Propinquis, aut Curatoribus eius, Monasterio aliquid ex bonis eiusdem tribuatur, ne hac occasione discedere nequeat, quod totam, vel maiorem partem substantiae suae Monasterium possideat, nec facile, si discesserit, id recuperare possit: quia potius praecipit S. Synodus sub anathematis poena dantibus et recipientibus, ne hoc ullo modo fiat, et ut abeuntibus ante Professionem omnia restituantur, quae sua erant: quod ut recte fiat, Episcopus

etiam

De Simonia.

etiam per Censuras Ecclesiasticas, si opus fuerit, compellat.

Quid dicendum de Renuntiatione bonorum facta à Novitio?

Dico. Concil. ut supra decrevit sic: Nulla renuntiatio, aut obligatio antea facta, etiam cum iuramento, vel in favorem cuiuscunque causę piç valeat, nisi cum licentia Episcopi, seu eius Vicarii, fiat intra duos menses proximos ante Professionem, ac non aliter intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta Professione: aliter verò facta, etiamsi cum huius favoris expressa renuntiatione, etiam iuramento, sit irrita, et nullius effectus. Quod intelligitur de secuta Professione valida, vel, si fuerit nulla, saltem ratificata.

Sed quid, si renuntiatio esset facta ante ingressum? Dico: Si quis bene consideret mentem Concilii, in hoc sitam, ut praecaveatur, ne ingressi ob praeproperam bonorum distributionem à libero regressu impediantur, vel saltem post regressum cogantur vivere in paupertate: si quis, inquam, hanc intentionem bene ponderet, etsi varii D.D. oppositum sentiant, eadem erit ratio de renuntiatione ante ingressum. Imò à fortiori licet arguere sic: Quia existens adhuc in sęculo minus praevidere potest Religionis eventum, et supervenientes causas regressus.

Teneturne Novitius in sua dispositione, seu ultima voluntate ante Professionem facta, adhibere solemnitates Iuris? Dico: Non tenetur, sed

sufficit,

Sufficit, si servet jus Canonicum, quia de ejus foro jam esse censetur.
Tenetur vero ante ingressum Novitiatus, excipiendo tamen dispositionem ad pias causas.

Quid si Professus nullam fecerit dispositionem? Dico: Succedit Monasterium (si sit capax successionis) in omnibus bonis: nam Professum sequuntur res sue. An autem hoc etiam intelligatur de bonis feudalibus, emphiteuticis, fideicomissisque consule Canonistas. Plerique DD. sentiunt, posse à Monasterio retineri, saltem ad dies vitæ talis Religiosi, utpote qui per Religionis ingressum non fit deterioris conditionis. Ergo, si non ipse, saltem Monasterium retinere ea potest, si nimirum sint feuda, personale servitium non requirentia. Excipiuntur etiam ab hac successione Regna, Ducatus, exigentia personalem administrationem, et pugnantiam in bello, comitiisque.

Quid si Novitius anno probationis non expleto faciat professionem existens in lethali morbo, ut aliquæ Religiones habent Privilegium, ut Dominicana? Dico: Monasterium in bonis non succedit, quia illud Privilegium solum eò respicit, ut Professus gaudeat Indulgentiis, et suffragiis Ordinis sui.

Quæro 13. Quomodo committitur Simonia in Beneficiis.

Resp: 1. Conferens, vel accipiens Beneficium pro munere à lingua vel ab obsequio est Simoniacus. Ratio patet ex dictis.

Resp: 2.

De Simonia

Resp: 12. Si quis aliquid spirituale alicui conferat quasi propter consanguinitatem, uel quamcunque carnalem affectionem, est quidem illicita, et carnalis collatio, non tamen simoniaca, quia nihil ibi accipitur. Unde hoc non pertinet ad contractum emptionis, et uenditionis, in quo fundatur Simonia. Si tamen aliquis det Beneficium Ecclesiasticum alicui, hoc pacto, uel intentione, ut exinde suis consanguineis prouideat, est manifesta Simonia. Hec sunt uerba Angelici. Similiter mortaliter peccat, licet non sit simoniacus, qui ex mero Beneficium confert indigno.

Resp: 13. Qui per pecuniam facit, ut electio ad dignitatem Ecclesiasticam uel beneficium cedat in sui uel alterius fauorem, est simoniacus, et electio nulla. Ratio patet ex definitione Simonie. Idem est si det Mediatori per modum pretii. Excipitur recognitio gratitudinis pro laboribus.

Resp: 14. Licet dare pecuniam ne eligatur indignus. Ita cum De Sa Crux dicente esse comunem sententiam: Non licet tamen dare pecuniam ut eligatur dignissimus etiam in comuni, quando sunt alii digni, etiam in sententia tenente Ecclesiam habere ius ad digniorem pre digno.

Resp: 15. Casu quo quis pateretur iniustam uexam ab aliquo, ne Canonicatu,

uel

SEMINARII CONCORDIENSIS BIBLIOTHECA

vel Episcopatum obtineat, resolvit S. Thomas dicens: Antequam alicui acquiratur ius in Episcopatu, vel quacumque dignitate, vel praebenda, per electionem, vel provisionem, seu collationem, simoniacum esse, adversariorum obstacula pecunia redimere. Sed postquam ius alicui iam acquisitum est, licet per pecuniam iniusta impedimenta removere. Haec ille: Quia in secundo casu praecise tollitur impedimentum, obstans, ne quis possit frui iure suo, et non emitur Beneficium.

Resp. 6: De permutatione Beneficiorum S. D. explicans definitionem Simoniae sic ait: Nomine emptionis et venditionis intelligitur omnis contractus non gratuitus. Unde nec permutatio Praebendarum vel Ecclesiasticorum Beneficiorum fieri potest authoritate partium absque periculo Simoniae; sicut nec transactio, ut iura determinant. Potest tamen Praelatus ex Officio suo permutationes huiusmodi facere pro causa utili, vel necessaria. Ex quo sequitur quod Simonia sit, vel saltem vehemens suspicio eius, si quis privata authoritate Beneficium pingue permutet, vel per pecuniam permutari procuret cum tenui alterius, ob vehementem inclinationem naturae in melius. Nec evadit Simoniam per hoc, quod pecuniam det pro ipsis temporalibus redditibus tempore excedentibus. Quia illi redditus percipiuntur titulo

Beneficii,

beneficii, qui est spiritualis.

Resp: 5. Pecunia procurare, ut quis in suum, vel alterius fauorem resignet Beneficium, iuxta omnes D.D. est Simonia. Quia procuratio spirituale pro temporali. Nota. Legitimum resignandi modum esse, si quis libere resignet ad manus Collatoris sine ulla conditione, ut pro sua conscientia conferat, cui uult. Si tamen quis ad manus Collatoris resignet in fauorem alterius (excluso pacto libertatem conferendi tollente) et Collator illi Beneficium conferat, non peccat, immo ex quadam honestate debet illi conferre, nisi sit indignus. Concil: Trid: de Clerico resignante decreuit: Neque resignatio admittatur, nisi constito, quod aliunde commode uiuere possit, et aliter facta resignatio nulla sit. Item nota. Quod Episcopus, à fortiori Papa, Clerico ob infirmitatem, aliamue inhabilitatem Beneficium resignaturo, vel in lite beneficiali pacis gratia cessuro, possit pro eius sustentatione ex redditibus Beneficii resignati constituere aliquam pensionem.

Resp: 6: Resignationem Beneficii facere eo pacto, ut resignatarius resignanti restituat expensas, quas in aquisitione Beneficii pro expeditione, aut statutorum solutione fecit, ex parte utriusque (in tutiori et probabiliori sententia) est Simonia, et quidem realis, et completa, si solutio, et receptio facta sit.

290

192:

Quomodo resolvis hunc Casum. Consanguineus servi Consiliario Episcopi dat pecuniam eo pacto, ut Episcopum inducat ad dandum servo (de Simonia, seu pecunia illa plane nihil scienti) Beneficium. Dico: Consanguineus ille, et Consiliarius sunt Simoniaci, non verò Episcopus, nec promotus, cum nihil de Simonia sciant. Promotus tamen non tenetur Beneficium renuntiare. Quia esset valde durum, et pene contra ius naturę, ut, qui culpam Simonię non commisit, puniatur per obligationem renuntiandi. Idem est, si Simonia fuisset facta in fraudem eligi, seu promoti. Contrarium si pecunia detur Praelato, vel eo sciente ministris, nesciente promoto, tunc licet promotus non sit Simoniacus, promotio tamen est simoniaca ex scientia promotoris; si ergo promotus id resciat, tenetur renuntiare.

Quaero 4. Quid censes de Iure Patronatus?

Ante Resp. Nota, Hoc ius honorificum quidem, sed et onerosum alicui ad aliquem pro beneficio praesentandum competere ex hoc quod vel ipse, vel alius, à quo illud habet, Ecclesiam fundauit, aut dotauit.

Resp. Ius Patronatus non potest pecunia taxari, nec separatim à villa, cui annectitur, vendi; nec villa ratione eius potest vendi carius absque labe Simonię: Ratio: Quia hoc ius est vere spirituale.

Opponit. S. Thomas dicit, quod Iura Patronatus aliquo modo vendi possunt.

Ad hoc

Ad hoc Resp: patere mentem S. D.s ex ipso textu, comparat enim hoc Ius iuri sacri, quę etiam aliquo modo, puta ratione materię vendi possunt. Sic etiam potest vendi materia huius iuris, nimirum fundus. Unde addit S. D.r Aliquo modo vendi possunt, non autem inquantum sunt spiritualibus annexa.

Quęres 5. Papa possitne incurrere Simoniam, cum sit supremus in Ecclesia?

Resp: Affirmative cum S. Thoma dicente: Papa potest incurrere vitium Simonię sicut et quilibet alius homo: Quamvis enim res Ecclesię sint eius, ut principalis dispensatoris, non tamen sunt eius, ut domini, et possessoris. Et ideo si reciperet pro aliqua re spirituali pecuniam de redditibus Ecclesię alicuius non careret vitio Simonię. Et similiter etiam posset Simoniam committere recipiendo pecuniam ab aliquo laico non de bonis Ecclesię. Nota tamen Papam Simoniacum non subiacere poenis, et censuris contra Simoniacos latis, cum hę sint iuris positivi, cui Papa saltem quoad vim coactivam non est subiectus. Secundo et emptor ab iis esset liber, si emeret a Papa sciente, et volente, non autem vi, vel fraude circumvento. Ratio: Quia expressus Papę consensus in venditionem, etsi malus, est tacita dispensatio, vel relaxatio Iuris Pontificii, pęnarumque eius. Nam credibile non est, quod ad beneficium a se libere venditum velit emptorem inhabilitare, aut punire propter actionem, cuius ipse est saltem concausa.

Quęro 6.

Quero 6. Ann Simonia dare pecuniam pro Matrimonio uel pro Decimis.

Resp: De Matrimonio sub distinctione cum Ang.co dicente: Matrimonium non solum est Ecclesię Sacramentum, sed etiam naturę officium. Et ideò dare pecuniam pro Matrimonio, inquantum est naturę officium, licitum est: inquantum verò est Ecclesię Sacramentum, est illicitum. Et ideo secundum iura prohibetur, ne per benedictionem nuptiarum aliquid exigatur. De Decimis resp: cum eodem dicente: Ius spirituale accipiendi Decimas non conceditur Laicis, sed tantum res temporales, quę nomine Decimę dantur.

Quenam est Simoniacorum obligatio ad restituendum, et quę pęnę.

Resp: 1: Qui interueniente muneris, id est, pecunię, seu pretii spiritualia quęcunque acquirunt, ea licitè retinere non potest, sed tenetur restituere. Hęc S. Th:

Resp: 2: Probabilius est, quod stando in iure Diuino naturali simoniacus teneatur ad resignationem Beneficii, et cuiuscunque alterius rei spiritualis, aquisitę per simoniam etiam solum mentalem, modò effectus sit subsecutus saltem ex una parte. Ita patet ex S. Thoma ut supra.

Resp: 3. Probabilius etiam est, pretium pro re spirituali acceptum, iure naturę esse obnoxium restitutioni

Resp: 4. Beneficium simoniacè acceptum, nisi dispensatio, uel potius

noua eius collatio obtineatur, relinquendum est in manibus Collatoris. Ratio: Nemo potest beneficium obtinere nisi per legitimam collationem, factam ab eo, ad quem spectat. Ex quo sequitur, quod ille Simoniacus teneatur etiam restituere omnes Beneficii fructus, quos percepit, uel percipere potuit, siue extent, siue non extent; deductis solum expensis, quas fecit, uel causa fructuum, uel in utilitatem Ecclesiae. Si uerò contigerit Simonia ipso nesciente, tenetur solum restituere fructus extantes, non uerò bona fide consumptos. De hoc S. Thomas sic loquitur: Pecunia, uel possessio, uel fructus simoniace accepti, debent restitui Ecclesiae, in cuius iniuriam data fuerunt, non obstante quod Praelatus, uel aliquis de Collegio ipsius Ecclesiae, fuit in culpa: quia eorum peccatum non debet aliis nocere: Ita tamen quod, quantum fieri potest, ipsi, qui peccauerunt, inde commodum non consequantur. Si uerò Praelatus, et totum Collegium sunt in culpa, tunc debet cum authoritate superioris, uel pauperibus uel alteri Ecclesiae erogari.

Resp. 5. Pretium simoniace acceptum pro re spirituali nondum tradita, u.g. pro Beneficio nondum collato, restituendum est ei, qui dedit. Si uerò Beneficium sit collatum et pretium acceptum, dandum est Ecclesiae, uel pauperibus, idque probabilius ante sententiam Iudicis.

Resp: 6: Insuper Simoniaci, tam vendentes, quam ementes spiritualia, aut etiam mediatores aliis penis puniuntur, scilicet infamia, et depositione, si sint Clerici; et excomunicatione, si sint Laici. Ita S. D.

Resp: 7. Simonia penas Iuris ipso facto inducens est triplex: Nimirum pr.ma comissa in susceptione Ordinum maiorum, vel minorum. 2. In Beneficio Ecclesiastico. 3. In ingressu, seu Professione Religionis.

Resp: 8: Aliae simoniae, v.g. in ministratione, vel receptione Sacramentorum, etsi sint grandia peccata, penas tamen Iuris non inducunt ipso facto, sed debent infligi per sententiam Iudicis.

Resp: 9. Sola Simonia realis completa, licet pretium solum pro parte sit solutum, penas Iuris inducit, non verò mentalis, vel conventionalis, ab aliis dicta realis incompleta, vel semirealis, etiam facta traditione rei spiritualis, modo temporale non sit receptum.

Ratio: Tum quia leges penales, praesertim tam graves intelligantur decerni pro opere completo: Tum etiam, quia legimus hunc esse stylum Romanae Curiae, sciente Papa; qui non solum ius declarat, sed et facit, et oppositum revocat. Ex his sequitur pr.mo eum, qui simoniace confert Ordinem, seu maiorem, sive minorem, imo et primam Tonsuram esse excomunicatum. De quo vide

Trid:

De Simonia

Trid. sess: 21. cap. 1. Insuper esse suspensum ipso facto ab omnium Ordinum, etiam pr.tae Tonsuræ collatione, et ab omnium munerum Pontificalium executione, et interdictum ab ingressu Ecclesiæ, immò (hac suspensione non observata) simul suspensionem incurrere à Regimine Ecclesiæ. Quod totum patet ex Constitutione Sixti 5. 1588. editâ: quarum pœnarum relaxatio soli Papæ reservatur. Per eandem Bullam ab executione omnium Ordinum suspenduntur ordinati Simoniacè. Nota tamen, ad harum pœnarum incurrentiam requiri, ut intercesserit formale, vel virtuale pactum. Quo deficiente, licet non sit Simonia, est tamen grande peccatum mortale, si quid contra Trid: accipiatur prætextu consuetudinis, vel sustentationis. Seq.r 2. Excommunicatum esse conferentem procurantem uti et recipientem Simoniacè Beneficium: si tamen sit verum Beneficium. Et ille simoniacè ad Beneficium promotus est inhabilis ad aliud habendum absque noua dispensatione Pontificis.

Resp: 10. Simonia propter ingressum Religionis tam intrantes, quam recipientes ipso facto subiicit excommunicationi et ipsum Conventum, si crimini consentiat, etiam suspensioni. Nota tamen, ob Monasteriorum tenuitatem, et contrariam consuetudinem

hanc

198:

hanc censuram raro incurri.

Resp: 11. Simonia confidentialis completa, nimirum dato, et accepto Beneficio, licet accipiens nondum impleuerit suam promissionem, utramque partem contrahentem ipso facto subiicit Excomunicationi Papali, et annullat resignationem, et collationem Beneficii in quo est commissa, et ad idem postea obtinendum inhabilitat, omnibus beneficiis, et pensionibus ante obtentis priuat. Tandem Beneficia sic collata reseruantur soli Summo Pontifici, cui etiam soli ordinarie reseruatur dispensatio in praefatis penis, licet in quibusdam casibus competere possit Episcopo. S. Reiganda.

Matth: 10. 8: Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundare, demones eiicite: gratis accepistis, gratis date.

Sicut ego sine pretio do uobis talem potestatem: et uos gratis date, ne Euangelii gratia corrumpatur uenalitate. Glossa Interl: apud Hyg: om Per hy, gratis date excludit occasionem simoniae, ne scilicet miracula sua accepto pretio

uendere

-vendant. Rursum monentur esse liberales in exercenda tali potestate, utpote quam gratis à Deo sine labore et merito acceperunt, hoc fine, ut ipsi liberaliter illam in aliorum utilitatem expendant: quę enim gratis accipimus et copiose, illa liberaliter elargimur instar fontium, qui, quo plus aquę foras emittunt, eo plus interius admittunt et recipiunt. Sensus ergo est, q.d. Donum illud sanandi ęgros, suscitandi mortuos q tale et tantum est, ut illud non potueritis vestro labore et industria assequi, sed gratis sit à Deo vobis elargitum, ac proinde gratis uti eo debetis, ut non tantum illud pretio non vendatis, sed nec munera pro eo oblata recipiatis, uti Eliseus curans Naaman à Lepra eius munera respuit, Giezi ea secreto accipientem Lepra puniuit, 4. Reg. 5. 16.

Hoc est, quod de Christo prædixit Isaias cap: 55:1: Omnes sitientes venite ad aquas et bibite, emite absque argento et absque ulla commutatione vinum et lac, hæc enim liberalitas decebat summum Regem et Principem, puta Christum Dominum, ideoque voluit Apostolos ab omni specie, imo umbra simoniæ et avaritiæ esse alienissimos, ut nullum munus acciperent, ne homines putarent eos quærere suas opes et bursas, ideoque à fide Christi aversarentur: quocirca peccassent Apostoli, Christique præceptum violassent, si ob prædicationem munera accepissent. Sic S. Hilarion teste S. Hieronymo in eius vita, cum plurimos equos curaret, nulla admittebat eorum dona, imò nec fragmen panis, dicens: Gratis accepistis, gratis date. Et cuidam primario (cui nomen Orionus) quem à

legione demonum liberavat, augenti instan-
tique ut munus acciperet, respondit: Noli
contristari, fili, quod facio, pro me et pro
te facio. Si enim hec accepero, et ego of-
fendam Deum, et ad te legio reuertetur.
Causa autem precipua cur Apostoli gratis
dare debeant charismata sibi à Deo data
hec est, quod res talis sit, tamque sublimis,
ut non possit humana industria haberi,
sed solo Dei munere gratis à Deo accipien-
da sit, eo quod sit diuina ideoque omne
pretium longe superans et transcendens, et
hoc significat Sy, gratis accepistis: quare ea
uelle pretio estimare et uendere, est eam
uelut profanam indigne tractare, illique
ac Deo, à quo ipsa suam sanctitatem habet,
indignam uilitatem facere et iniuriam,
ideoque esse scelus simonie, ac sacrilegii.

Hinc patet hoc praeceptum non esse iuris
positiui, puta diuini, sed esse iuris naturae;
praesertim quia Christus in Nouo Testa:
mento nulla sanxit noua praecepta posi:
tiua, nisi Fidei et Sacramentorum, ut
passim docent Theologi ex S. Thomae
Dices: Ergo pariter qui rem sacram cum
alia sacra permutat, est simoniacus iure
naturae et diuino, quia non dat eo gratis.
Resp: negando consequentiam: Gratis
enim dare hic est dare sine mercede uel
pretio temporali, res sacrae autem non ha:
bent pretium temporale: hoc autem non
exigitur, uel accipitur, quando res sacra cum
alia sacra commutantur. Ita S. Antonin. q
Hoc Christi praeceptum imitentur uiri Reli:
giosi et Apostolici quia ad Christi gloriam

et conversionem animarum satis quam maxime.
Quocirca S. Ignatius fundator Societatis
nostrę merito regula 17 Summarii Constit:
ita sancit: Omnes qui sub obedientia
sunt Societatis, meminerint se gratis dare
debere quę gratis acceperunt, nec postulan-
do, nec admittendo stipendium uel eleemo-
synas ullas quibus Missę, uel Confessiones,
uel prędicationes, uel quoduis aliud offi-
cium ex iis, quę Societas iuxta nostrum
institutum exercere potest, compensari ui-
deatur, ut sic maiori cum libertate possit,
et proximorum ędificatione in diuino ser-
uitio procedere. Verum est illud Chilonis:
Aurum cotibus exploratur: mentes hominum
auro: et illud Tullii: Homines maxime
admirantur eum, qui pecunia non mouetur.

208:

Quocirca S. Antonius ingenti auri massa con-
specta, magnitudinem admiratus radiantis
metalli rapido cursu quasi quoddam vitavit
incendium ad montem usque pervexit.
Pecuniam quoties offerebatur S. Vincentio Fer-
rerio per castella praedicanti, vetabat à
sociis suis accipi. S. Franciscus, teste S.
Bonaventura in eius vita: Pecunia, ait,
servus Dei nichil aliud est, quam diabolus
et coluber venenosus. Denique S. Petrus
Simoni Mago offerenti pecuniam: Pe-
cunia tua, ait, tecum sit in perditionem
Act. 8. 20. Bonum.

De Hypocrisi.

De Hypocrisi

...gan. de
Tract: 5.
Exam. 1.

Hypocrisis illa est, quando quis per falsa facta vel signa exteriora simulat se habere, quod non habet, aut quod habet, significat se habere excellentius quam habeat: unde est similis illi, qui facit falsam monetam. Vel est vitium inclinans ad ita simulandum. Quando sit peccatum mortale, vel veniale explicat S. Thomas, dicens: Si aliquis non curet sanctitatem habere, sed solum sanctus apparere, sicut consuevit accipi in S. Scriptura, est peccatum mortale: nullus enim totaliter privatur sanctitate, nisi per peccatum mortale. Si autem dicatur hypocrita ille, qui intendit simulare sanctitatem, a qua deficit per peccatum mortale, non est mortale sed quandoque veniale.

Quod discernendum est ex fine, qui si repugnet charitati Dei, vel proximi, erit mortale, puta cum simulat sanctitatem vel ut falsam doctrinam disseminet, vel ut adipiscatur Ecclesiasticam dignitatem indignus vel quaecunque temporalia bona, in quibus finem constituit. Si verò finis intentus non repugnet charitati, erit peccatum veniale, puta, cum aliquis in ipsa fictione delectatur. Haec S. Th.° Horrenda hypocrisis est illa, de qua S. Ambr.s dicit: Latet plerumque sub tristi amictu lascivia, et deformis horror uisi veste obtegitur, ut

severa

p. 08:

secreta penetrantium regamur animorum

Iob. 36: 13: Simulatores et callidi / Id est, hypocritę astuti / provocant iram Dei. / Simulata ęquitate. Et apte dicit: simulatores, et callidi provocant iram Dei, non simulatores tantum, quia hypocritę nisi ingenio calleant, quod videri appetunt, congrue simulare non possunt. Ita dicit Greg. Oportet enim eum, qui talis est duo habere, ut scilicet callide noverit ostentare quod non est et occultare quod est, et vera mala premere, falsa bona monstrare. Sed ne talis appareat, sępe oportet eum simulare gloriam declinare, ut fugiendo comprehendat, quod non potest sequendo. Sunt autem quatuor species hypocrisis. Una est simulatio falsi boni. Secunda dissimulatio veri mali. Tertia iactantia aperti boni. Quarta excusatio aperti mali. Unde recte signatur per tertiam bestiam, quam vidit Daniel cap. 7. Post hęc, inquit aspiciebam, et ecce alia quasi pardus, et alas habebat quasi

aues quatuor super se, et quatuor capita erant in bestia.
Quatuor ale, sunt quatuor dicte species simulationis.
Quatuor capita sunt quadripartita intentio hijpocri:
tarum. Omnis enim hijpocrita intendit, aut diuitias,
aut delitias, aut honores, aut gloriam hominum.
Quid vero in fine sequatur hijpocritis adiungit, dicens:
Neque clamabunt (per ueram confessionem) cum uincti
fuerint. Vinculis flagellorum Domini, quia acriter etiam
flagellati fateri se peccatores refugiunt, quia sancti prius
opinione hominum ferebantur. Et quamuis se duci ad
eterna supplicia non ignorent, tamen tales cupiunt
apud humana iudicia remanere, quales se studuerunt
semper ostendere. Hug.

Ecclesiasticus 1: 38: Ne fueris hypocrita (aliud scilicet corde gerens, aliud opere
monstrans) in conspectu hominum, et non scandalizeris
in labiis tuis. Id est non proferas unde possis confundaris
mentiendo uel nimis loquendo, uel falsum testimonium
ferendo uel te iactando.

38: Attende in illis Hypocritis, ne similis illis efficiaris, et adducas

animę tuę inhonorationem. Id est, pudorem in die Iudicii,
cum occulta cordium manifestabuntur. Aug:

Matth: 6: 2: Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere, sicut hypocritę
faciunt in Synagogis et uicis, ut honorificentur ab
hominibus. Hypocrita est, qui simulat quod non est,
repręsentator alterius personę. Gloss: Hypocritę
similes sunt monstrosis locustis, quas uidit Ioannes
Apocal: 9: hę enim habebant faciem mulierum, sed
caudam scorpionum. Simili modo hypocritę primò
uultu blandiuntur et uerbis adulantur, sed in fine
occultè aduersantur, pungunt et feriunt. Verum hi
ipsi dum volunt aliis nocere, magis sibi nocent. Nihil
enim opertum est quod non reueletur. Luc: 12: 2:
quare facile deteguntur eorum fucus et fraus, quo
facto confunduntur, perdunt fidem et famam, fiuntque
omnibus odibiles. Corn:

Matth: 23: 14: Vę uobis Scribę et Pharisęi hypocritę: quia comeditis domos
uiduarum orationes longas orantes. Arguit eos Christus
de simulatione sanctitatis propter lucra. Hug: Oratio-
nibus quasi magnis retibus facultates uiduarum piscatis.

Qui avaritiam vestram religionis colore depingitis,
quasi diabolo arma Christi praestatis, ut ametur
iniquitas, dum pietas aestimatur) propter hoc amplius
accipietis iudicium) id est, maiorem damnationem. Aug:
Luc: 16: 15: Quod hominibus altum est) scilicet apparens iustitia
et non existens) abominatio est ante Deum. Quia simu=
lata sanctitas duplex est iniquitas, ait S. Hieron: Hug:
Iob 8: 13: Spes hypocritae peribit. Id est, favor et gloria, et
huiusmodi pro quibus faciebat bona: Iob: 20: Gau=
dium hypocritae ad instar puncti. Sap: 5: Spes
impii quasi lanugo, quae à vento tollitur. Isai: 59:
Telas araneaum texuerunt. Telae eorum non erunt
in vestimentum, neque operientur operibus suis. Opera
eorum, opera inutilia. Greg: Hypocrita dum lau=
datur, dissipatur. Aug:
Psal: 31: 11: Nolite fieri sicut equus et mulus) per mulum
hypocritae designantur. Mulus enim ex nobili
et ignobili generatur. Ita in generatione hy=
pocritae conveniunt nobile, scilicet opus de genere

xix:

bonorum: et ignobile, scilicet, corrupta intentio:
et ipsi semper nobilitatem ostendunt, et iactant,
ignobilitatem vero abscondunt. Sicut fabulosè
narratur de mulo, quem vulpes interrogauit,
de quo genere fuerat? et mulus respondit,
quod pronepos erat magni equi Regis His=
paniæ. Non quero de patre, dixit vulpes
sed de matre, et noluit indicare. Aug. Ita faciunt [mul...]
Psal: 88: 9: Et veritas tua in circuitu tuo. q. d. Ubi tu, Domine,
habitas per gratiam, ibi in circuitu apparet verita
vitæ bonæ ad exemplum tuæ, non falsitas, sicut in
hypocritis, in quibus diabolus habitat et exterius
apparet falsitas, quia boni videntur. Iob 40: dicitur
de diabolo: sub umbra dormit, in secreto calami/
id est, in corde hypocritæ, qui interius vacuus est,
et interius nitet. Isai: 59: Corruit in platea veritas:
Quia, sicut dicitur Matth: 6: Hypocritæ amant in
angulis platearum stantes orare, ut videantur ab
hominibus. Aug:

Psal: 106: 34: Posuit terram fructiferam in salsuginem.
Terra fructifera est Theologia, quę versa est in
salsuginem, scilicet in hypocrisim et cupiditatem,
quia multi Theologi non faciunt fructum ope:
rum quem docet Scriptura, sed tantum aliquid
floris praetendunt ut divitias assequantur, Matth: 7:
Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos
in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi
rapaces. Habent enim vestimenta ovium, scilicet,
simplicium, sed intus latet rapina, scilicet ar:
dor habendi et congregandi divitias: unde seq.: ibi:
A fructibus eorum cognoscetis eos. Salsugo au:
tem dicitur hypocrisis propter infructuosi:
tatem Iob. 15. Congregatio hypocritarum sterilis. Aug:
Psal: 113: 1: Non nobis Domine, non nobis sed Nomini tuo
da gloriam. Hypocritę non sic faciunt, qui in
lachrymis et in omnibus quę faciunt, non Dei
gloriam, sed suam propriam quęrunt. Unde

218.

de lachrymis eorum dicere possunt demones, quod dixerunt pastores Gerare Gen: 26: Cum enim pastores Isaac fodissent et reperissent aquã pastores Gerare dixerunt: Nostra est aqua. Sic dicunt demones de lacrymis hypocritarum. Eccl: 12: In oculis suis lacrymabitur inimicus, id est, lacrymę suorum oculorum sue erunt. Hec potest dicere hypocrita hoc quod seqr:

r Super misericordia tua et veritate tua: ne quando dicant Gentes: ubi est Deus eorum? Quod enim hoc facit magis est ex indignatione Dei, qui permittit eos decipere homines ad suam maiorem damnationem, quam ex misericordia. Item non est ibi veritas Dei, sed fallacia humana. Unde ad eorum magnam confusionem bene omnibus gentibus manifestum erit quod non fecerunt servi Dei. Et cum ipsis dicent illud Mach: 5:

Domini

Domine, nonne in Nomine tuo prophetavimus?
Tunc respondebit Dominus: Nunquam novi
vos, discedite a me qui operamini iniquita-
tem: Iniquitas enim est, ubi non est inten-
tionis et operis æqualitas: Et tunc poterunt Ecclesiastici 1: 19:
dicere gentes, ubi est deus eorum? q. d.
Nescio ubi est deus hypocritæ, quia vanita-
tem et ventum colebat: sed de nostro deo
scio quod: Deus autem noster in cælo. q. d.
vero deo servivimus, sed illi vano et falso. Reg:
Prov. 6: 12: Homo apostata, vir inutilis, graditur ore perverso,
13 Annuit oculis, terit pede, digito loquitur,
14 Pravo corde machinatur malum, et omni
tempore iurgia seminat. Hæc nonnulli re-
ferunt ad hypocrisim. q. d. Hypocrita fraudo-
lenter agit, nutuque oculorum quasi annictan-
do amicitiam simulat; solent enim amici amicis

218

216.

attestare digito sequitur, ut alterno digito
eamdem admirationem simulet ac interim
corde machinatur eidem malum. Sequitur:

Ecclesiasticus 1. 39.

Et revelet dominus absconsa tua, absconditam
in corde tuo hypocrisin, et in medio syna-
gogae, id est multitudinis magnae, elidat te
id est, deiiciat et prosternat, quoniam accessisti
maligne ad dominum, id est hypocritice, et
cor tuum plenum est dolo et fallacia. Nota
hic condignam hypocritarum poenam, congruè
à iusto Dei iudicio eis irrogari solitam, q.d.
Ne te simules, ostentes, praedices religiosum et
sanctum, cum sis irreligiosus impius et hypocrita.
quia solet Deus hypocrisin detegere, ac hypocri-
tas, qui apud populum falsum sanctitatis ac re-
ligionis nomen aucupati sunt, prodere, ut omnes
videant eorum fictionem et nequitiam, itaque

inf

De Hypocrisi.

c. 15:
217

infamia, probro et dedecore publico eos
notare et mulctare, ut ordinarie fieri vi=
demus in hac vita, sed certissimo id fiet in
futura: Christus enim in die Judicii omnem
hypocrisin ~~aperiet~~ aperiet et hypocritas
publica et horrenda ignominia afficiet,
dum ob scelera quæ pandet, eos damnabit
ad tartara. Ita Christus patefecit et con=
fudit coram populo hypocrisin Pharisæorum:
Attendite, inquit, à fermento Pharisæorum,
quod est hypocrisis, Luc. 12. Item Petrus elicit
hypocrisin et nomen Simonis Magi, qui se
Prophetam divinum, imò Deum simulans, ut
talis à Nerone et Romanis colebatur, cum
eum superbè per aera in cælum ope dæmonis
volantem, ad preces S. Petri, spectante Nerone
et toto populo, ex alto præcipitavit, eiusque
crura saxo allidens confregit: unde Simon

a 18.

confusus prae pudore ex urbe fugiens, mox dolore et moerore animam infoelicem exhalavit. Ita detexit Deus occulta scelera Dioscori qui aeque ac Nestorius, specie humilitatis et sanctitatis occultans interna scelera, irrepserat in Episcopatum Alexandrinum, cum effecit ut e Concilio Chalcedonensi adversus eum darentur libelli, quibus ipse convincebatur Origenista, Arrianus, homicida, incendiarius, vitaque turpissimus. Nil enim magis Dei Ecclesiae obesse compertum est, quam cum sub involucro sanctitatis iniquitas tegitur, et impietas horrenda virus, sub religionis picta progreditur, fallens oculos intuentium. Facile namque est cavere, quos manifestos intelligas hostes, occultos autem quis effugiet? Quis revelabit faciem indumenti eius? portas vultus eius quis aperiet? ait Iob c. 41. Coon.

Secundum Præceptum.

Secundum Praeceptum.

Deut: 5: 11: Non assumpes Nomen Domini Dei tui frustra. Scilicet in vanum. S. Thomas censet hoc secundo praecepto solum periurium proprie et directe prohiberi. Theologi et passim Doctores censent hic non solum periurium sed omnem irreverentiam et abusum Nominis Divini vetari, ne Divinum Nomen, ait Theodor: nominetur, praeterquam aut doctrinae causa, aut praecationis, aut alicuius necessitatis. Hoc enim clare significat versio nostra: In vanum. Conr:

Peccatur contra hoc Praeceptum

Iurigando Ang: 150: Primò. Male iurando, nimirum sine iudicio necessitate, vel ioco; aut bene iuratum male adimplendo. Vel iurando se malum facturum, aut bonu opus omissurum.

2: Peierando seu iurando id quod verum scitur esse falsum, vel saltem dubitatur de veritate. Vel iurando ex consuetudine ex levitate

3: Alium ad male iurandum vel peierandum inducendo vel iurando per deos falsos, aut per membra Dei talia ei attribuendo; Deo, vel Sanctis male precando.

4:

4 220

223:

4: Blasphemando seu iniuriosa verba in Deum vel Sanctos ~~effundendo~~ proferendo, perfectiones Dei creaturis attribuendo.

5: Nomine Dei et Sanctorum in profanis discursibus abutendo.

6: Male vovendo, vel votum male implendo vel implerio= nem sine rationabili causa differendo: vel omnino omittendo, vel vovendo, aut iurando sine animo implen= di, aut se obligandi

7: Vovendo sub conditione et faciendo ne conditio impleatur.

8: In Religione vota solemnia vel unum ex illis violando. Iurgando

Gen: 42: 16: Alioquin per salutem Pharaonis exploratores estis. Queres, an hoc sit iuramentum et an licitum. Cahuinus negat esse iuramentum, addit que hanc esse phrasim gentilitium que sapit idolatriam Ægyptiacam. Verum dico esse iuramentum et hoc licitum. Ratio est, quia qui per creaturas iurat, censetur iure comuni gentium, et tacita iurantis intentione iurare per eatum creatorem, idem ergo est ac si dicat Ioseph per Deum qui auctor et conservator est uitę Pharaonis. Ita S. Thomę.

Dices, Ioseph uidetur hic peierare: nam licet fratres Beniamin non adducerent, exploratores tamen ideirco non erant. Resp: Non iurat Ioseph fratres suos esse exploratores, sed ait: Alioqui exploratores estis, id est eritis apud me, habebimini, presumemini esse exploratores. q. d. Ni Beniamin adducatis, itaque uestra dicta ueracia esse ostendatis, ego uos quasi exploratores habebo, tractabo et puniam. Ita S. Aug: Caiet:

Gen: 31: 53: Deus Abraham, et Deus Nachor iudicet inter nos, et Deus patris eorum. Iurat Deus Thare, qui fuit pater Abrahę et Nachoris Nota. Sicut licuit hic Iacobo a Laban, ita cuiuis fideli licet ab infideli excipere, imo exigere in necessitate iuramentum, etiamsi sciat infidelem iuraturum per falsos deos: sicut in necessitate licet petere mutuum ab

8

223

225:

eo quem scis id non daturum nisi cum pacto usurę.

Sicut enim hic solum exigit mutuum, usuram vero tantum permittit et tolerat; ita et ille iuvamentum solum exigit, idipsum verò fieri per falsos deos tantum permittit et tolerat, idque ob iustam causam, puta necessitatem. Sequitur:

Exod: 23: 13: Et per nomen externorum deorum non iurabitis, neque audietur ex ore vestro. Iubet non ut eos non nominemus, sed ne eos deos vocemus, et quasi deos in testes invocemus iurando per eos, inquit Vatabl: Iudęi hic superstitiosi, imò blasphemi sunt, nolunt enim legere aut pronunciare nomen Salvatoris nostri Jesus, quod si forte casu illud vel legere vel sonare contingat, seipsos mulctant, colaphumque ori impingunt. Hoc est odium istorum cęcorum et miserorum in Iesum Christum, quod proinde luunt perenni exilio et excidio. Sequitur:

Levit: 5: 1: Si peccaverit anima | eo modo quo sequitur | et audierit

vocem

uocem iurantis, testisque fuerit quod aut ipse ui-
dit, aut conscius est: nisi indicauerit portabit ini-
quitatem suam. q. d. Si quis audierit uocem iurantis,
id est, iuramento aliquid confirmantis, putà promit-
tentis rem aliquam, aut contractum aliquem ineuntis,
aut quid aliud asserentis et stabilientis iuramento
huiusque rei testis citatus in iudicio, ut dicat id
quod de re uidit aut cognouit; si is iuridicè re-
quisitus ad testandam ueritatem, eam non indicet
hic portabit iniquitatem suam, id est poenam iniqui-
tatis, punietur enim à Deo. Nota hic caecitatem Deut: 5:11:
et peruersitatem Iudaeorum qui nullam sibi iuramenti
et periurii conscientiam faciunt nisi iurent manu
imposita super librum legis: quod si alio ritu iurent,
audacter iurabunt falsum. Quare imprudenter
cum magna Christianorum iniuria faciunt magistra-
tus, qui Iudaeos in rebus forensibus ad iusiurandum
contra Christianos admittunt. Quam perfidiam cum
Norinbergenses, aliique Resp. olim intellexissent,

Iudæos ad nullum admiserunt iuramentum nisi ad:
mota manu ad librum legis suæ Synagogæ iura:
rent. Adde, quod ipsi in die expiationis à Rab:
binis suis ab omnibus votis et iuramentis, si quæ
malignius fecerunt, absoluuntur. Denique Iudæus
licitum sibi putat Christiano homini quacumque
ratione posit, damnum inferre. Unde et quidam
eorum magnus Rabbi sic scribit: Optimus qui
inter gentes est, dignus est, ut caput illi contera:
tur tamquam serpenti. Corn:

Deut: 5: 11: Quia non erit impunitus qui super re vana nomen eius
assumpserit. q. d. Deus severè puniet vel in hac
vita, vel in futura, qui Nomen Dei in vanum as:
sumit. Nota Deus huic præcepto, quæ ac primo
pœnam apponit, vel ob rei præcepti gravitatem,
vel ad coercendam Hebræorum ad ea violanda
proclivitatem. Ita Deus fame triennali puniuit
Ierusalem, ob periurium Saulis, quo contra fidem
datam à Iosue, occidit Gabaonitas: unde eis traditi
sunt posteri Saulis, et ab eis crucifixi, et sic fames cessavit. Corn:

De Iuramento, Periurio, et Mendacio.

Quero 1: Quid, cuius virtutis actus, et quotuplex, ac quantę obligationis est iuramentum? et quid est periurium?

Resp. 1: Iurare est Deum in testem assumere ad confirmandum aliquod dictum, vel factum. cum enim in rebus humanis non possimus semper habere certitudinem ab homine quasi pro iure introductum est (ait S. Thomas) quod sub inuocatione diuini testimonii dicitur (cum illud infallibile sit) pro vero habeatur. Ex his ab opposito patet, quid sit periurium, nimirum violatio iuramenti qui violans vocatur periurus: vel inuocatio diuini Numinis in testimonium falsitatis.

Resp. 2. Formulę iurandi omnino certę sunt: Deum testor; Testem aduoco Deum. Per Deum iuro. Testis sit mihi Deus; Quam verè Deus viuit; ~~Quam verè Deus viuit~~. Quam vere viuit anima mea. Per Euangelium, per Crucem, per Sanctos, per Cęlum, per animam, vitam, salutem. Per caput S. Petri Apostoli. Pro quo Nota, quod dum per creaturas iuratur, ipsis non tribuitur infallibilis veritas, hoc enim esset blasphemum, cum illa soli Deo conueniat. sed iuratur per eas, inquantum in eis Deus represententur, alias non est iuramentum. Hinc Deus in testem potest adduci dupliciter, nimirum explicite, ut in prioribus exemplis; vel implicite,

2 n g:

ut si in dicto sensu iuretur per creaturas.

Resp: 3: Formulę iurandi dubię, de quibus Theologi inter se concertant, an sint vere tales, sunt: Deus scit, Deus videt vel audit me verum dicere. Dico hoc coram Deo; In animo meo; In Conscientia mea; In fide honesti viri, vel Christiani. Verum in his distinguendum est. 1. Vim iuramenti habent in illis locis ubi moris est sic iurare, non apud alios. 2. Vim iuramenti habent, si proferantur cum intentione iurandi. 3. Si proferantur per modum invocationis; secus si tantum per modum enuntiationis.

Resp: 4: De essentia iuramenti non est, ut fiat verbis proprie dictis, cum multis iurare possit per nutus, et in quibusdam locis moris sit, ut mares ~~iudices~~ iurent etiam coram Iudice per tactum sui pectoris, ~~vel~~ erectis duobus superioribus digitis, et feminę manum dextram imponendo sinistrę mamillę, imo potest fieri iuramentum absque ullo sensibili signo, mentaliter Deum testem invocando.

Resp: 5. Iuramentum debitis conditionibus R. 6. assignandis vestitum, non solum est licitum, sed est actus virtutis Latrię seu Religionis.

Resp: 6: Ut iuramentum sit licitum, et actus virtutis, petit tres comites, ut sunt iudicium, veritas, et iustitia. Declarat hoc S. Thomas, dicens:

Ad

De Iuramento

Ad bonum usum iuramenti duo requiruntur: Primo quidem quod aliquis non leviter, sed ex necessaria causa et discrete iuret. Et quantum ad hoc requiritur iudicium, scilicet discretionis ex parte iurantis. 2. Quantum ad id quod per iuramentum confirmatur, ut scilicet neque sit falsum, neque sit aliquid illicitum. Et quantum ad hoc requiritur veritas, per quam aliquis iuramento confirmat, quod verum est. Et iustitia, per quam confirmat, quod licitum est. Iudicio autem caret iuramentum incautum: veritate autem iuramentum mendax: Iustitia autem iuramentum iniquum, sive illicitum. Pro quorum intelligentia

Nota. Per iudicium hic intelligi discretionem, seu prudentiam; non enim sufficit esse vera, quae iurantur, nisi iurentur prudenter, id est, adhibita debita cautione, et consilio, ad quod requiruntur tria. 1. Ut quae possunt probari sine iuramento, per illud non confirmentur. 2. Ut non iuretur ex quavis levi causa, sed ex gravi. 3. Ut praecedat matura consideratio, ne falsum iuretur pro vero. Hinc pueri ante annos discretionis validum iuramentum praestare nequeunt. Per veritatem non intelligitur ut a Metaphysicis, adaequatio rei ad intellectum, ut res a parte

rei

rei ita se habeat, sed intelligitur quædam conditio externi ser-
monis, ut nimirum concordet cum animo, existimante certò ita
esse ut dicitur, licet inuincibiliter erretur: est enim veritas
solum materiale. Per iustitiam in præsenti solum intelligitur
honestas ex parte materiæ, ut scilicet res sit iusta et honesta.
non quod honestas necessario se debeat tenere ex parte obiecti,
nisi sit iuramentum promissorium, sed ex parte causæ mouentis ad
iurandum, nam in iuramento assertorio obiectum potest esse iniquum
u.g. furtum, homicidium, sed causa mouens semper debet esse ho-
nesta, u.g. honor Dei, bonum commune.

Resp. 2. Iuramentum diuiditur 1. in simplex, seu inuocatorium, quo Deus
solum simplici contestatione in testem assumitur, u.g. Deus sit mihi
testis: et in execratorium, seu imprecatorium quo Deus non solum
inuocatur ut testis, sed etiam ut uindex falsitatis, quod est gra-
uissimum iurisiurandi genus, ut si iurans Deum inuocet ut sibi,
uel alicui sibi dilecto hoc uel illud malum immittat, si uerum
non dicat, u.g. puniat, damnet. Diuiditur 2. in assertorium,
et promissorium. Per primum assertur, seu affirmatur ueritas
præterita uel præsens. Per secundum promittitur aliquid futurum.
Aliqui addunt comminatorium, u.g. Per Deum delumbabo te. Sed

Sed hoc potest reduci ad promissorium. Dividitur 2. vel potius subdividitur Juramentum in Judiciale et extrajudiciale. Primum est quod à Lege vel Superiore defertur ad litem terminandam, fidem confirmandam, criminis purgationem; Alterum est, quod defertur, vel suscipitur extra judicium. Primum subdividitur in necessarium, nimirum à Judice delatum: et voluntarium ac conventionale à parte delatum parti. Addi potest juramentum calumniæ, quod in principio, vel progressu litis Judex alterutra parte exigente, tenetur deferre actori quidem, ut juret quod non litiget animo calumniandi, sed existimet quod bonum habeat causam: reo verò, ut juret, quod existimet se habere jus ad resistendum actori. Hoc juramentum potest deponi per Advocatum, speciali tamen mandato ei facto: qui debet jurare non tantum in animam sui principalis, sed et propriam: quia et ipse posset calumniari injustam causam defendendo. Juramentum obligat in Conscientia

Quæro 1. Scitne assignare casus, in quibus Juramentum non obligat.

Resp: Obligatur homo ut faciat esse verum, quod juravit secundum suam possibilitatem, nisi in deteriorem exitum vergat;

quod

232.

quod potest fieri dupliciter. Uno modo quia ab ipso princi-
pio habet peiorem exitum, vel quia est secundum se malum:
sicut cum aliquis iurat se perpetraturum adulterium: sive quia
est maioris boni impedimentum, puta cum aliquis iurat se non
intraturum Religionem, vel quod non fiet Clericus, et huius-
modi iuramentum à principio est illicitum, differenter
tamen: quia si quis iuret se facturum aliquod peccatum, et
peccavit iurando et peccavit iuramentum implendo. Si quis
autem iurat se non facturum aliquod bonum melius quod
tamen facere non tenetur, peccat quidem iurando, inquantum
ponit obicem Spiritui Sancto, qui est boni propositi inspira-
tor, non tamen peccat iuramentum servando, sed multo
melius facit si non servet. Alio modo vergit in dete-
riorem exitum propter aliquid, quod de novo emerserat,
quod fuit impraemeditatum: sicut patet in iuramento Herodis,
quia iurat puellae saltanti se daturum quod peteret. Hoc
enim iuramentum poterat esse à principio licitum intel-
lecta debita conditione, scilicet si peteret, quod dare deceret.
Sed impletio iuramenti fuit illicita.

Quid

De Iuramento

2.2.

Quid sentis de iuramento coacto? Obligatne?
Dico cum S. Thoma dicente. In iuramento, quod quis coactus facit, duplex est obligatio. Una quidem, qua obligatur homo, cui aliquid promittit. Et talis obligatio tollitur per coactionem: quia ille, qui uim intulit hoc meretur, ut ei promissum non seruetur. Alia autem est obligatio, qua quis Deo obligatur, ut impleat, quod per nomen eius promisit. Et talis obligatio non tollitur in foro conscientiæ: quia magis debet damnum temporale sustinere, quam iuramentum uiolare. Potest tamen repetere in iudicio, quod soluit, uel Prælato denuntiare, non obstante quod contrarium iurauit: quia tale iuramentum uergeret in deteriorem exitum, esset enim contra iustitiam publicam. Romani autem Pontifices ab huiusmodi iuramentis homines absoluerunt, non quasi decernentes huiusmodi iuramenta non esse obligatoria, sed quasi huiusmodi obligationes ex iusta causa relaxantes. Hæc S. D.
Quid si non sit eadem intentio iurantis, et eius, cui iurat?
Dico cum S. Thoma dicente: Si hoc proueniat ex dolo iurantis, debet iuramentum seruari secundum sanum intellectum eius

cui

cui iuramentum praestatur. Unde Isidorus dicit: Quacunque arte verborum quis iuret, Deus tamen qui conscientiae testis est, ita hoc accipit, sicut ille, cui iuratur, intelligit. Et quod hoc intelligatur de doloso iuramento, patet per id, quod subditur: Dupliciter reus fit, qui et Nomen Dei in vanum assumit, et proximum dolo capit. Si autem iurans dolum non adhibeat, obligatur secundum intentionem iurantis. Unde Gregorius: Humanae aures talia nostra verba iudicant, qualia foris sonant. Divina verò iudicia talia foris audiunt, qualia ex intimis proferuntur. Haec S. D.
Quaeri hic potest, an in iuramento liceat uti amphibologia. Sed ad hoc patebit postea dum agetur de mendacio.
Quaero 3. Obligatne sub mortali iuramentum in re parva, sic ut in periurio non detur parvitas materiae.
Resp. Iuramentum etiam in re levi obligat sub mortali. Unde in periurio formali, seu deliberato non datur parvitas materiae faciens veniale. Ratio: Quia Deum facere testem mendacii in omni casu est gravissima iniuria Deo irrogata, nec unquam, si deliberate fiat, veniale esse potest. Addo ex S. Thoma dicere

Ille,

De Iuramento

Ille, qui iocose periurat, non euitat Diuinam irreuerentiam, sed quantum ad aliquid magis auget. Et ideò non excusatur à peccato mortali.

Obligatne iuramentum in re graui, cum periculo vitę? Resp: Potest dari casus, in quo iuramentum obliget cum periculo vitę ~~[illegible]~~ Doctores declarant. Iuramentum factum à captiuo apud infideles per verum Deum obstringit ad reuertendum, ne scandalum oriatur. Non enim solum Christiana familia, sed Deus noster contemptui apud illos tum maxime haberetur. Imò verò, si quis iurasset illuc redire, licet esset iniuste captiuus, nec redire posset sine periculo mortis, redeundum illi esset potius quam si cum ingenti scandalo, periculoque contemptus Religionis nostrę, iuramentum illi esset relaxandum.

Inter Christianos reus mortis dimittitur ex carcere, qui iurat se rediturum teneturne redire? Dico: si detinetur iuste, et nullum habet periculum contemptus Dei Fidei, et Religionis, tenetur redire vel petere relaxationem iuramenti. Si verò carcer sit iniustus, et quis videat se iniustè vita priuandum, non tenetur.

Quia

Quia daret occasionem proximam gravissimo peccato, nimirum iniusto homicidio, ad quod nullus iuramento constringi potest.

Quaero 4: Licetne iuramentum exigere ab eo, qui creditur peieraturus? ~~[illegible]~~

Resp: ad 1. part: Ex iusta causa ad instantiam partis id potest Minister Iustitiae, seu Iudex, intendendo exquirere veritatem, ad periurium mere negative se habendo; sed personae privatae non licet. Ita S. Thomas: Cuius ratio est: Quia tunc non videtur exigere Iudex, sed ille, ad cuius instantiam ille exigit, qui exigendo inducit alterum sine necessitate ad peccandum.

Quaero 5. Estne iuramentum et licitum dicere: Quod dico, tam verum est, quam Evangelium, aut, quam quod Deus sit unus.

Resp: Si ita loquens intendat veritatem humanam seu creatam in robore comparare vel aequiparare veritati Divinae, aut Evangelicae, esset blasphemia, ut patet ex dictis de illo vitio. Si vero solum intendat asserere talem rem proportionabiliter esse veram, uti verum est Evangelium et quam verum est Deum esse unum, suo modo esse iuramentum. Sed hac in re vulgus non tam subtiliter philosophatur, nec ad talem verborum illorum sensum advertit, nec Deum in testem animum

vocandi

-uocandi habet. Hinc defectu talis reflexionis talis locutio non excedit communiter culpam venialem verbi otiosi, si tamen scandalum desit.

Quaer. 6. Quomodo tollitur iuramentum?

Resp: Tollitur, ut de voto dictum est 1. per simplicem cessationem, ut si res iurata sit impossibilis. 2. per irritationem. 3. per condonationem iuratarii. 4. Dispensatione vel commutatione proportionabiliter ut de voto dictum est.

Quaer. 7. Quid et quotuplex sit mendacium, quantum, et in omni casu peccatum?

Resp: 1. Mendacium est locutio falsa cum intentione fallendi, seu decipiendi proximum, qui iudicat eam esse veram. Unde mendacium nominatur ex eo quod contra mentem dicitur: Et mentiri est contra mentem ire. Hinc dicere falsum, quod iudicatur esse verum, non est mentiri nisi materialiter, quia non est contra mentem. Formale ergo mendacii consistit in hoc, quod locutio non sit conformis menti loquentis.

Nota. Quod loqui aliquid, falsum quidem quoad verborum significationem, sed tali modo, v.g. iocose, et ironice, ut facile

935
.p. 58.

adverti posit, loquentem nolle adhiberi fidem suis verbis ut veridicis, non sit mentiri: quia non adest intentio fallendi. Hoc modo à mendacio excusantur matres ac nutrices, dum ad pueros dicunt hęc vel similia: Ecce lupus in porta, si fleveris, tradam te illi; Dum ergo audiens hęc verba fallitur, deceptio tribuitur imbecillitati ingenii audientis, non verborum falsitati.

Resp: 2: Iuxta S. Thom: Mendacium dividitur in iocosum, officiosum, et perniciosum. Iocosum procedit ex motivo delectationis, ut mentiri ioci, et recreationis causa. Quod ob paruitatem est peccatum veniale, quia talis falsitas est parvi momenti. Officiosum est, quod procedit ex motivo utilitatis sive ad obtinendum aliquod leve bonum, sive ad evitandum aliquod leve malum, quod vocant mentiri ad habendam pacem. Et etiam est peccatum veniale ob paruitatem. Perniciosum est, quod pro motivo habet damnum proximi, sive temporale, sive spirituale. Quod damnum si sit grave, vel in materia gravi, ut in casu Religionis, aut fidei, est peccatum mortale, si leve veniale.

Resp: 3: Omne mendacium formale est peccatum, nec in ullo casu est licitum, etiam pro toto mundo conservando. Ratio.

Mendacium

De Iuramento

Mendacium opponitur virtuti veritatis, et est per se pravum, id est, in se est malum, quod nulla circumstantia cohonestari potest. Ergo.

Quaero 8: Tenemurne semper dicere veritatem? Item liceatne uti restrictione mentali, vel equivocatione?

Resp: 1: Tenemur semper dicere veritatem, sed termini, quibus dicitur, interdum sunt clari et intelligibiles, interdum ambigui, et equivoci, habentes duplicem significationem, secundum quod exigit necessitas, et obligatio loquendi.

Resp: 2. Probabilius et tutius est, nunquam licere uti restrictione pure mentali id est, quae nulla circumstantia, vel exteriori signo manifestatur. Ratio: Tum quia est vere mendacium, quod nunquam licet: Tum etiam, quia quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: Sed ille ipse, qui in loquendo utitur restrictione pure mentali, non vellet sibi per eam ab aliis illudi. Ergo. Tum tandem, quia usus restrictionum pure mentalium aperit viam continuis fraudibus et deceptionibus, tollitque omnem humanum convictum et societatem: Sane, si aeque convivimus illis, quorum linguam ignoramus, juxta S. Aug.º qui dicit: Libentius vivit

homo

p. 40: 237

homo cum cane suo, quam cum homine alieno: Ergo cavere conversationem cum illis, qui fraudes artificio tectas in sermonibus adhibent. Pro intelligentia dicendorum

Nota 1: Duplex est restrictio: Una mentis, altera dictionis. Prima est, quę pure fit mente, et non ex circumstantiis extrinsecis et sensibilibus, nec ex eo, quod vox plures habeat significationes, v.g. in privato discursu aliquis te interrogat, fecistine hoc, et respondens: Non feci, mente subintelligendo heri, cum tamen feceris ante octiduum. Et hęc est restrictio pure mentalis et formalis. Altera, nimirum dictionis, fit 1: quando quis profert vocem, quę habet plures significationes, ut si quis à te aliquid petit, quod potes facere, sed non vis facere, et respondes: Non possum, nequeo et non placet. Tales dictiones sunt nomina ęquivoca, ut si quis te interroget an non videris, vel furatus sis canem respondes: Non sum furatus canem, intelligendo cęlestem, vel marinum, cum tamen furatus sis terrestrem, et sic de cęteris vocibus ęquivocis, v.g. Gallus significat hominem, et avem. Hinc interrogatus occidistine Gallum? si dicas: Non occidi, intelligens avem non mentiris. Fit secundò

quando

De Juramento

quando, uox etsi sit uniuoca, seu unam tantum habeat significationem, attamen ad plura significanda determinatur à circumstantiis v.g. fornicario proprie est uox uniuoca, si tamen Sacerdos / Confessario ex habitu, vel Confessione quod sit sacerdos, cognitus / confiteatur se esse fornicarium significat sacrilegium; si uxoratus significat adulterium absque ulla restrictione mentis: sicut etiam uox aliqua equiuoca per uerba adiuncta determinatur, ut significet unum determinate ut si dicam Canis latrabilis. Nota secundo. Quando reus legitime non interrogatus respondet, Non scio, Non feci, cum tamen fecerit, non est restrictio mentis, sed dictionis, non ex pluralitate significationis, sed ex circumstantiis intrinsecis. Nam respondet in eo sensu, in quo Judex interrogat de crimine publico, seu quod potest in iudicio probari. Ergo dicendo, Non feci, id est tale peccatum, de quo publice constet, non mentitur.

Resp. 3: Probabilius est licere dissimulare ueritatem usu restrictionis non pure mentalis, sed à uiro prudente cognoscibilis, inque talibus circumstantiis, ut prudenter existimetur non esse

expe-

r4r: 243

expediens alium scire veritatem. Tunc enim, ait Lloner, si de dicto, vel facto interrogemur, possumus respondere: Non dixi,
111 non feci. Tunc enim praedictae circumstantiae faciunt subaudire: scio quidem me dixisse, aut fecisse, sed non scio tibi. Idem est de restrictione dictionis. Ratio Lloneri est: si in hoc casu non liceret tali uti restrictione, nullus esset modus, secreta quod sine gravi damno, vel incommodo aperiri non potest, licite celandi, dum importune urgeretur eius revelatio. Sed hoc humano convictui non minus esset perniciosum, quam ipsum mendacium. Ergo. Addit Christum Marc: 13: tali restrictione usum fuisse, cum dixit: De die autem illa, vel hora nemo scit, neque Angeli in Caelo, neque Filius; puta Filius non scit ad nobis dicendum. Unde Hilarius à D. Thoma versatus ait: In omnibus, quae Deus ignorare se loquitur, ignoratione non detinetur, sed aut tempus est non loquendi, aut dispensatio non agendi. Favet S. Thomas dicens: Non est licitum mendacium dicere ad hoc, quod aliquis alium à quocumque periculo liberet, licet tamen veritatem occultare

prudenter

Q. 4 D:
246

prudenter sub aliqua dissimulatione. Nota tamen, hac restrictio=
ne, uti et amphibologia (de qua dicetur) non esse utendum
nisi sicut medicina, nimirum in iusta necessitate, scilicet
quando quis interrogatur de re, quam non tenetur, nec potest
dicere sine alterius praeiudicio, quia indifferenter utendo
hac duplicitate turbaretur societas ciuilis, ut dictum est. Adhi=
beretur ergo amphibologia non ad decipiendum, sed ad occultan=
dam ueritatem.

Resp. 4: Probabilius est, non licere quidem uti amphibologię,
seu ęquiuocationis formalis, bene tamen materialis, ueritatem
celare in casu necessitatis. Ratio est eadem quę ante. Nota:
Amphibologiam, seu ęquiuocationem formalem esse, quando
non adsunt circumstantię, per quas audiens uir prudens pos=
sit uenire in cognitionem significationis, uel sensus uerborum
à loquente intenti; materialem uerò quando tales circums=
tantię adsunt, licet audiens etiam prudens ob negligentiam
considerationis talium circumstantiarum non intelligat men=
tem loquentis. Hac ęquiuocatione usus est Christus, cum
consanguineis rogantibus, ut ascenderet in templum, respondit:

Ego

Ego non ascendam, Joan: 7. cum tamen postea ascenderit. Nam ex circumstantia petitionis eorum [consistentis in hoc, ut palam ascenderet in Templum, ut in eo manifestaret se mundo] poterant, si attendissent, sufficienter intelligere, Christum respondisse in eodem sensu, nimirum, non ascensurum se publice, sed tamen in occulto. Simili amphibologia dicitur fuisse usus S. Franciscus, quando interrogatus, an non vidisset transeuntem aliquem homicidam, immissis intra manicas manibus respondit: Hac non transiit, subintelligens, non transisse per illas manicas. Quod factum approbatur.

Loqui per restrictionem vel equivocationem materialem, esse mentiri? Resp: Non est: Quia non est loqui contra mentem, vox enim equivoca habet duos sensus, quorum unus est conformis menti loquentis, et alius intentioni audientis: Sed non teneor, nisi sit rationabilis causa, aut necessitas me conformare intentioni audientis. Ergo. Pro maiori dictorum intelligentia

Queres 9. Quomodo doctrinam hactenus datam poteris salvare, supposita damnatione harum duarum propositionum? Prima est. Si quis, vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte,

sive

sive recreationis causa, sive quocunque alio fine iuret se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea quâ fecit, vel quodvis aliud verum; revera non mentitur, nec est periurus.
Secunda: Causa iusta utendi his amphibologiis est, quoties id est necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur expediens et studiosa. Has propositiones damnavit Innocentius XI. qua damnatione usus restrictionum mentalium, equivocationum, ac amphibologiarum damnatur, qui tamen in ante dacta doctrina fuit admissus. Pro resolutione
Resp: Papa damnando duas illas propositiones, non damnavit usum restrictionum mentalium dictionis, vel restrictionum, equivocationum amphibologiarum materialium, sed tantum formalium, seu pure mentalium. Quarum exempla ex dictis patent.
Hoc manifeste probant authoritates, et rationes pro R. a. 3. et 4. ad Q. 8: adductę. Quę convincunt omnes universim restrictiones, et amphibologias damnari non posse. Ergo damnatę

a8 2de3

276:

sunt solę formales, et purè mentales.

Ex his seq.^r 1. Damnatum non esse modum amphibologię per verba
ęquivoca ex justa causa occultandi veritatem: Exemplum patet
ex dictis in voce Canis, et Gallus. Sicut et sic scio significat in-
terdum cognitionem evidentem, ut in scientificis; aliquando talem,
quę habetur ex fide humana. Et sic nescio potest significare
carentiam omnis notitię, et carentiam solius notitię claræ, et
evidentis. Item humana consuetudine sic non scio facit etiam
hunc sensum, non scio, nisi occultè: non scio ut comunica-
bile, non scio notitia utili ad revelandum. In quibus nulla
est restrictio purè mentalis. Similiter hęc vox est significat
v.g. esse domi, et significat etiam ~~manducationem~~. Unde duas
significationes habet hęc propositio: Meus dominus non est domi.
et quidem absque mendacio, et restrictione mentis, cum sola
restrictione dictionis. Idem est de his casibus: Quidam homo
mortificationi carnis intentus, rogatus ad hos vel illos
delicatos cibos in convivio comedendos, respondet, tales cibos
nocere sibi, vel suę valetudini, intelligens hoc de valetudine,
seu perfectione spirituali. Vel infirmus interrogatus quomodo

valeat

valeat: respondet: Bene, intelligens de spiritu, non de corpore.

Item aliquis in conuiuio obligatur laudare aliquod ferculum, licet sibi insipidum, potest dicere: Est bonum: quia omne ens est bonum, nam bonitas est passio entis. Idem est de hac uoce, possum, non possum.

Sequitur 2. Non esse damnatum, sed licitum modum ex iusta causa occultandi ueritatem per metaphoras et allegorias. Exemplum est in historia de Iacob, et Esau.

Sequitur 3. Non esse damnatum, sed ex iusta causa licitum modum utendi uerbis ex sua significatione quidem non ambiguis, que tamen attentis circumstantiis loci, temporis et persone ad aliud significatum trahuntur. Exemplum est ex ante adducta locutione S. Francisci. Idem est si quis rogetur alteri mutuare pecuniam, et dicat, non habeo, subintelligendo ultra necessarias; uel etiam quam in his circumstantiis tibi mutuare possim licet ceteroquin habeat. Item quidam Consiliarius seuero seruando obligatus de quodam occulto negotio ei noto interrogatus ab amico, respondet: Non scio; ut sit sensus: Non scio ut homo priuatus, etiamsi sciat ut Consiliarius.

Seq. 4.

Sequitur 8: Non esse damnatum modum respondendi per circum-locutionem, interroganti nihil affirmando, nec negando, sicut interrogans existimet respondentem nescire, uel non habere id, quod petitur v.g. Quantulaveris mihi, uel Rogaveris mihi, soleo si tibi possem servire, hoc dicere, hoc concedere.

Quid dicis de eo, qui occultissime novit in sponte adulterium nobilis fæminæ, quod iure naturæ tenetur occultare? Dico: Potest respondere ex arte dicti de uerbo non scio, quid significet ex humana consuetudine, etiam sine restrictione.

Quæ est tua sententia de quotidianis illis complimentis: Servus tuus obedientissimus, Omnia mea tua sunt. Dico: Sunt uerba honoris quæ per humanam consuetudinem iam quilibet intelligit dici per metaphoram uel hyperbolem absque sine mendacio, et restrictione mentis. q. Buigandi.

Casus Novalis.

Ex manuscripto cuiusdam docti Religiosi Rev. Religiosi Observantis. .2.

Occasione trium propositionum damnatarum ab Innocentio XI. quarum prima est 26. in ordine, videlicet: Si quis etc. alia 27: Causa iusta etc ut supra ad Quæst. 9. Tertia est 28. est.

Qui mediante commendatione, uel munere ad Magistratum uel ad officium publicum promotus est potest cum restrictione

mentali prestare iuramentum, quod mandato Regis à si-
milibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exi-
gentis, quia non tenetur fateri crimen occultum: Dubitatur,
et queritur utrum licitus sit usus amphibologie, vel equi-
uocationis cum restrictione mentali.

Pro Resolutione.

Supponendum est p.mo quod amphibologia idem est ac dubia
sermonis sententia ab amphi, quod idem est ac dubium, à
bole, quod interpretatur sententia, et à logos quod significat
sermonem. Hec autem dubietas oritur ex hoc, quod verba
exterius prolata habent sensuum diuersitatem, que relinquit
dubium et anxium auditorem, nesciens in quo sensu loquatur
loquens, que quidem fit quatuor modis

Salmat: tract: 13 de uoto, et iuram: [illegible] punc: 8 · S. n: 105.

Primo Quando verba in acceptione comuni usitata habent dupli-
cem sensum, et utrumque velut ex equo significant, u.g. illud.
Ibis redibis non morieris in bello: Quod potest intelligi
eum fore uictorem, dicendo ibis, redibis (et postea) non mo-
rieris in bello: et eum fore uincendum, dicendo ibis, redibis non)
et postea) morieris in bello. Similiter dicendo: Hic liber
est Petri, potest intelligi, uel quod Petrus sit libri Auctor, uel
dominus. Secundo, quando verba referunt duplicem sensu',

sed

247

250.

sed unum magis comunem quam alium, v.g. dicendo Canis, principaliter intelligitur canis terrestris, quam celestis aut marinus. Dicendo Gallus principaliter intelligitur Gallus Gallinaceus, quam homo natione Gallus. vel si verba referunt sensum equalem tamen unum significant litteraliter, alterum autem spiritualiter; ut in hac propositione: Elias es tu? Ioannes respondit: Non sum.

Ioan: 1. 21. Math: 11: 14: Et Christus de Ioanne dixit, ipse est Elias. Quia ergo Iudei intelligebant litteraliter de Elia in persona Ioannis, respondit, quod non erat: Christus autem intelligebat, quod Ioannes erat Elias spiritualiter, sicut Angelus Zacharie dixerat: Ipse precedet ante illum in spiritu et virtute Elie. Quod explicans

Luc: 1: 17. Hom: 7. in Euang: S. Greg: Ioannes, ait, in spiritu Elie erat, in persona Elias non erat. Quod ergo Dominus fatetur in spiritu, hoc Ioannes denegat de persona. Item est de hac propositione: Servus est bonus vir. Nam in sensu comuni et primo significatur quod est virtuosus, et in sensu minus proprio, quod est simplex. Tertio. Quando verba ex se, non habent diversos sensus, sed ad unum tantum determinantur: et tamen ex modo loquentis, et interrogantis, aut ex aliis adiunctis circumstantiis temporis quo dicuntur, persone que loquitur, determinantur ad alium sensum, et sic equivocationem pariuntur, ut si penitens interrogatus à Confessario

de

de furto, quod fecerat, et confessus fuerat, respondit, non feci, intelligendo ita ut debeam iterum confiteri. Et si a servo plures pecunias habente, mutuo petat ab illo, et ille respondeat, non habeo, intelligendo ad tibi dandum, restringens mentaliter suam propositionem et eam applicando iuxta intellectum interrogantis. Quarto denique. Quando verba ex se determinantur ad unum tantum sensum, et insuper ex adiunctis circumstantiis non coarctantur ad alium, sed tantum ex sola loquentis intentione trahuntur per solam restrictionem mentalem ad unum sensum diversum quem audiens percipere non valet, ut si dicat: Iuro me non dormivisse, intelligendo me non comedisse. Quae locutionis species potius restrictio mentalis, quam amphibologia, seu aequivocatio dicenda est, quia non amplectitur plures sensus in verbis, ut hic et nunc prolatis fundatos, sed exprimit unum tantum, qui mente praecise ad illud ~~intellectu~~ obiecto detorquetur.

Supponendum est secundo, ut certissimum est apud omnes, nulla ex praedictis aequivocationibus licere uti sine iusta et rationabili causa, et multo minus dictum sub aequivocatione sub iuramento firmare. Et ratio est ex D. Thoma, quia societas hominum politica et civilis conservari non potest, quando homo absque iusta causa

in

248

252

in uno sensu loquitur et iurat, et in alio ab auditoribus intelligitur; nam si hoc esset licitum, praecisa rationabili causa, non possent homines ad invicem conuiuere, nec sibi invicem credere, quod ad societatem et conuictum hominum est omnino necessarium; siquidem nescirent quo sensu alii loquerentur, et cuncta duplicitatibus, falsitatibusque scaterent. Unde S. D. ait, quia homo est animal sociabile, naturaliter unus homo debet alteri id, sine quo societas humana seruari non potest; non autem possent homines conuiuere, nisi invicem crederent, tanquam sibi invicem veritatem manifestantibus.

D. Thom: 2. 2. q. 109. art: 3 ad 1.

Confirmatur, quia talis modus loquendi repugnat fini ad quem locutio est instituta, et loquendi facultas nobis ab Auctore naturae data, ut scilicet mentis conceptus vel per veritatem aliis possimus aperire, cum nesciat audiens quo sensu alius loquatur, et ideo illi fidere non potest, et sic euertitur omnis fructus conuersationis communis. Abs positis

Dicendum est primo licitum esse, iusta interueniente causa verbis amphibologicis, sive aequiuocis uti ad occultandam veritatem, et hoc iuramento firmare, quando verba ipsa sunt ex se ambigua et plures sensus admittunt, sive omnes ex aequo et principaliter (ut dixi in suppositione prima modo primo) sive unum primario, aliud secundario, vel unum in sensu litterali, alterum

in

 251

ita spirituali, ut ibidem dixi modo secundo.

Haec conclusio est Salmaticensium, quam asserunt esse communem inter Catholicos D.res Theologos, licet non placeat Zauerrio Pisani, qui super propositionem 27. sustinet esse mendacium et periurium aliquid dicere et iuramento firmare per verba aequivoca in sensu minus principali, et minus consueto.

Salm: tract: 17. de voto et iuram: cap: 2. punct: 8. §. 13. n.º 105.

Probatur tamen conclusio Salmaticensium tali ratione ab ipsis adducta. Ad hoc ut sit licitum iuramentum requiritur iudicium, iustitia, et veritas: at haec tria inveniuntur quando quis ad occultandam veritatem utitur suo iure iurando verbis amphibologicis sive iuxta sensum principalem, sive minus principalem, sive litteralem, sive spiritualem. Ergo quando quis ad occultandam veritatem utitur suo iure iurando talibus verbis amphibologicis, sive iuxta sensum principalem sive minus, et maior patet ex doctrina de iuramento. Probatur minor. In tali casu verborum aequivocationem, seu amphibologiam habentium adest iudicium, seu prudentia diversionis ob iustam causam, quam habet quis ad celandam veritatem, quam non tenemur semper manifestare, sed prudenter aliquando celare possumus. Unde D. Thomas docet, quod licite aliquis

D. Thom: 2. 2. q. 40: art: 3: in corp:

potest falli ex facto, uel dicto alterius, non dicendo ei falsum, quia hoc est intrinsece malum, sed non aperiendo ei ueritatem. Sic enim alio modo aliquis potest falli ex dicto, uel facto nostro, quia ei propositum aut intellectum non aperimus. Hoc autem semper facere non tenemur, quia etiam in doctrina sacra multa sunt occultanda, maxime infidelibus, ne irrideant, secundum illud Matth: 7. Nolite sanctum dare canibus. Hoc autem pertinet ad prudentiam, seu iudicium discretionis. Adest etiam in tali iuramento iustitia, quia ~~[illegible]~~ supponimus non esse intra iudicium alterius, neque ad firmandam uoluntatem in malo; nam qui iurat cum iustitia, iurat cum honestate ex parte materiae. Adest etiam ueritas, quia uerba amphibologica et equiuoca uere, et ex parte sui admittunt omnes illos sensus: unde quando iurans unum intendit, uerba cum illo sensu quem iurat reddit conformia et sic à ueritate minime aberrat. Ergo quando quis ad occultandam ueritatem utitur siue iurando uerbis amphibologicis, siue iuxta sensum principalem, siue minus principalem, siue litteralem siue spiritualem habet in suo iuramento Iudicium, Iustitiam, et Veritatem ac per consequens licite iurat. Confirmatur, quia multis in locis S. Scripturae approbatur ut licitus usus amphibologiae, uel

equi:

De Iuramento

aequiuocationis ob grauissimas causas quas habent homines ad huiusmodi uerborum usum, nempe ut S. Scriptura non sit ita facilis, ut etiam rudioribus sit obuia, et sic uilescat apud illos, qui spiritualia non gustant, ac proinde si eam de facili intelligant, de facili contemnent; ut studium nostrum in S. Scriptura excitetur, ut Ecclesiae et Doctorum auctoritas maior sit apud uulgum, quia hoc loquendi modo compellitur uerum sensum ab Ecclesiae Doctoribus inquirere; ut infideles, quibus libri sacri ad manus ueniunt Fidei nostrae mysteria non penetrent: quos expedit haec nescire, ne ea irrideant. Specialiter tamen duobus in locis approbatur huiusmodi usus. Primus est in libro Tobiae | c. 5. 18.
ubi Angelus Raphael interrogatus de nomine et cognatione respondit: Ego sum Azarias Ananiae magni filius. Quae uerba praeseferunt duplicem sensum; litteralem et communiorem de Azaria filio Ananiae; et spiritualem, ac minus proprium. Et tamen Angelus in sensu minus proprio respondit et absque mendacio. In sensu spirituali mystico, et metaphorico Azarias interpretatur auxilium Domini. Ananias significat nubem, et nubes significat aerem terrenum. Sensus ergo responsionis Angeli fuit iste: Ego sum auxiliator

[Margin: ...nal: Arr, et Gaud: propter. ac: dicent: cap. 5. n. 5 seq.]

à Deo

à Deo, Filius adoptiuus Aeterni Patris. Locus alter, in quo ap-
probatur usus amphibologiae est in Euangelio Ioannis, et Lucae
de Ioanne Baptista, quem Christus uocauit Eliam, de quo dixi supra;
Si ergo S. Scriptura iusta interueniente causa utitur amphi-
bologiis, et aequiuocationibus non solum quando uerba habent
duplicem sensum, alterum communiorem, alterum minus propriu
et secundum minus propriam significationem, multo magis
iusta interueniente causa poterit homo quilibet uti huius-
modi aequiuocationibus, et etiam iuramento firmare ad occul-
tandam ueritatem.

Dicendum est 2°.

Licitum esse iusta causa interueniente aliquid asserere, et iu-
rare etiam quando uerba ex se sunt determinata ad unum
sensum tantum; quando tamen tales occurrunt circumstantiae
ut prudenter existimetur non esse expediens alium siue ue-
ritatem. Tunc licitum est addere uerbis restrictionem mentalem.
Et etiam conclusio communis est apud Theologos, etiam post damna-
tas supra recensitas propositiones, ut uidere est apud Salmar:
Cardenas, Aonet et alios.

Antequam probetur conclusio supponendum est quod circumstantiae,

De Iuramento

quę possunt licitum facere iuramentum alię sunt in verbis intrinsecę, et alię in signis extrinsecę. In verbis sunt quando dignoscitur interrogantem interrogare cum quadam limitatione, u.g. si aliquis interroget alium, an habeat pecuniam: talis interrogatio est unita cum circumstantia an habeat pecuniam ad illi mutuandum, vel saltem ad illi pandendum. Similiter, si interroget in loco, in quo non debet interrogare, u.g. in Ecclesia de aliqua novitate, quę interrogatio est unita cum illa circumstantia loci, quę prohibet interrogare, et respondere. Item si interroget in tempore non proprio, ut si confessarius interroget pœnitentem, an commiserit fornicationem quam iam confessus fuerat. Istę enim circumstantię determinant verba ad alium sensum ab illo quem habent.

In signis autem, quando verba quę in se non habent circumstantiam intrinsecam determinant per aliquam circumstantiam extrinsecam, ut cum S. Franciscus à ministris iustitię requisitus an illac transisset delinquens, positis intra manicam manibus, respondit, istac non transiit,

plena

40 256

258.

plenam responsionem ex verbis, ac actione externa compo-
nens. Quod verissimum fuit quia per manicas non trans-
siuit. Et similiter si fixisset pedem super uno lapide, et
dixisset: istac non transiuit, quod similiter verum dixis-
set, et sine mendacio, quia per illum lapidem non transiuit.
Item si quis pro aliqua gratia rogatus, faciam, sed simul
manum ergo tergum vertat, idem dicit ac, non faciam. Hoc porro
probatur pr.mo conclusio ratione adducta à Salmat:
Nunc in locutione non est mendacium, neque periurium,
quando responsio adequatur interrogationi, ita si respon-
dens respondeat in eo sensu, in quo interrogans poterat, et
debebat interrogare. At concurrentibus aliquibus supra
recensitis circumstantiis in locutione, responsio adequatur
interrogationi, quia respondens respondet in eo sensu, in quo
concurrentibus iis circumstantiis, interrogans potest, et te-
netur interrogare, cum non debeat praesumere in illo ma-
litiam. Ergo concurrentibus iis circumstantiis in locutione non
est mendacium, neque periurium. Et quamvis ad hoc sit ne-
cessarium uti restrictione mentali, haec tamen responsio

est

est stricta, quia non est pure in mente, sed talis in circumstantiis, in quibus facile exprimitur. Quod si interroganti non patet, hoc tribuitur suæ inadvertentiæ, vel ignorantiæ. Unde etiam si responsio non adæquet bene consideranti perspicua foret, ut patebit in exemplis, quæ infra ponemus.

Probatur 2. et simul confirmatur conclusio ex S. Scriptura. Christus Dominus hoc genere loquendi usus est quando interrogatus à Discipulis, an ascenderet ad diem festum, respondit: Ego autem non ascendam ad diem festum istum, cum tamen postea ascenderit, quia scilicet ex circumstantia petitionis eorum quæ continebat in hoc ut palam ascenderet, verum responsum dedit: Non ascendam, quia postea occulte ascendit. unde sua responsio adæquabatur interrogationi.

Ex antedicta doctrina resolvuntur septem casus quos ad plurium Animarum puncturas medendas placet hic litteraliter transcribere à directione 19. cap. 6 et 7. super Propositiones 26. 27. et 28. ab Innocentio XI. damnatas Rev.di Patris Ioannis de Cardenas.

Primum est. Si confessarius interrogetur de peccato alterius, quod

per Confessionem sacramentalem novit, potest respondere
nescio, sive non scio; vide dicta supra; de hoc verbo, scio.
Secundus casus est si aliquis interrogetur de adulterio; vide Iurandi; supra;
Tertius casus est, si femina adultera interrogetur a Marito;
vide; Iurandi; de Coniugatis.
Quartus casus, si famulus qui iubetur negare existentiam Domini
in sua domo interrogetur an Dominus sit in domo, potest fi:
gere pedem in uno lapide, et postea sine mendacio et restrictio:
ne mentali respondere, non est hic, id est in ipso lapide.
Potest etiam sine restrictione mentali, et mendacio respondere,
egressus est de domo. Sic enim non designat tempus; est
enim verum quod saepe egressus fuerit. neque tenetur respon:
dere ad mentem interrogantis nisi forte esset ~~iudex~~ a Iudice iuri:
dice interrogatus, vel haberet causa iusta occultandi.
Quintus casus est si aliquis interrogetur, an habeat pecunias
ad mutuandum, potest dicere se non habere, respondendo
ad mentem interrogantis; iste enim postulat eas pecunias,
quae alteri sunt necessariae, unde postulat solum ultra necessarias; ut supra
Sextus casus est, si aliquis obliget ad laudandam potionem
ubi; ut supra;
Septimus Casus, si aliquis ut solvat gabellam evidenter iniustam,

interrogatus à Iudice, ut sub iuramento dicat quantum mercis apud se retineat, supposito, quod in iis circumstantiis non interrogetur legitimè, potest negare partem mercis, et excusari à mendacio et periurio. Si enim respondeat: Habeo, u.g. uiginti amphoras olei, non mentitur, quia dum dicit uiginti amphoras non negat reliquas, et uerum est quod habet illas uiginti. Secundò potest negare se habere plures, quam uiginti, in quo uerum dicit ad mentem interrogantis, nam Iudex solum interrogat de illis ex quibus debet gabellam soluere. Ita Card.ᵘˢ

Similiter ei cui licitum est bona aliqua abscondere, eo quod illis ad uitam sustentandam eget, ne à creditoribus capiatur, uel cogatur mendicare, potest rogatus à Iudice sub iuramento, an aliqua bona habeat abscondita ad satisfaciendum creditoribus, asserere se nulla bona habere, intelligendo quę Iudici manifestare teneatur, quia hęc est intentio iusta et licita illius interrogationis secundum quam respondet uerum.

Item heres, qui absque beneficio inuentarii adiuit hęreditatem,

quomodo

quomodo in foro externo teneatur ad omnia debita defuncti, etiam ultra vires hereditatis / si vero non occultaverit aliqua bona illius, quibus posset satisfacere creditoribus defuncti, potest sub iuramento affirmare, se non talia, aut talia bona accepisse intelligendo, ita ut ex illis teneatur satisfacere, quae si vero accepit, quia intentio Iudicis interrogantis est de bonis quibus satisfacere tenetur illius creditoribus, quippe quae fundata est in praesumptione quod bona satisfacientia recepit ad talem satisfactionem.

Similiter Persona Ecclesiastica interrogata à custodibus an aliqua emerit, aut vendiderit, aut portet eo fine, ut gabellam solvat Principi laico, quam vere solvere non tenetur, potest iuramento dicere, se non portare, emisse, aut vendidisse, etiam si vere emerit, vendiderit, aut portet, intelligendo, ex quo gabellam solvam, ob eandem rationem. Ecclesia enim Privilegio Christi gaudet immunitate ab oneribus gabellarum.

De Iuramento

Exod: 23: 1: Non suscipies uocem mendacii. Octo sunt genera mendaciorum, ut ait Aug: Primum est quod fit in doctrina religionis, ad quod nulla causa debet aliquis adduci. Secundum est, quod ita prodest alicui quod obest alteri. Tertium est, quod nulli prodest, sed alicui obest. Quartum est, quod fit sola mentiendi, uel fallendi libidine quod merum mendacium est. Quintum, quod fit placendi cupiditate de suaui eloquio. Sextum est, quod nulli obest, et alicui prodest, ut si quis pecuniam alicuius iniuste tollendam sciens ubi sit se nescire mentiatur. Septimum est, quod similiter nulli obest, sed alicui prodest, ut si quis nolens hominem tradere quaesitum ad mortem, mentiatur. Octauum similiter est, quod nulli obest et alicui prodest, ut si quis pro seruanda alicuius corporali pudicitia, mentiatur. In his omnibus, ut dicit Aug:, tanto minus peccat quis cum mentitur, quanto magis à primo recedit. Quisquis uerò aliquod genus mendacii esse putauerit, quod non sit peccatum, decipit seipsum turpiter. Aug:

Iud: 3: 19: Verbum secretum habeo ad te, ò Rex, 21: Extenditque Aod sinistram manum, et tulit sicam de dextero femore suo, infixitque eam in uentre eius. Fingit Aod se habere oraculum à Deo siue diis acceptum in Galgala ad Regem perferendum, uel certe secretum aliquod in itinere ad se cognitum quod Regi indicandum foret. Mentitur ergo,

sed

sed olim tali casu et necessitate mentiri licitum esse cen=
sebant non tantum plebeii, sed et Philosophi ac Theo=
logi. S. Aug: Aod excusat à mendacio quod per verbum
intellexit factum phrasi Hebrea. q. d. Habeo quod tibi
dicam, id est faciam, scilicet ut te occidam, hoc enim mihi
suggessit iubetque Deus. Hinc Azorius: Nicenus q. 21. in
Script. docet, licere subinde uti artificiosè simulatione,
non tamen mendacio, atque id probat sanctorum exemplis.
Primum inquit, exemplum sit Moyses: quoniam iussu Dei
apud Regem prae se tulit quod viam trium dierum abduc=
turus esset populum ad Deum colendum (Exod. 3: 18)
quamquam eius esset propositum omnino Israeliticum populum
liberare et traducere ex Egipto in Iudeam. Tale est et
quod fecit qui ad ungendum Davidem in regem missus est
à Deo prae se ferre quòd esset sacrificaturus, ne Saul
cognosceret quod regem pro se constituit et ne periculum
veniret Samueli. 1. Reg: 16. Et paulo post aliis exemplis
commemoratis, Iam verò, inquit, ad sumendam iustam de
inimicis ultionem saepe doli sunt probati; cuiusmodi fuit
Aod qui interfecit Eglon, et Jahel, quae occidit Sisaram,
et Iudith, quae interemit Holofernem. Inter hos ergo dolos
non sunt sancti appellandi mendaces, sed sapientes quidem

ad

ad bonum, sinceri autem ad malum. // Nec aliud uult S. Thomas 2. 2. q. 40. art. 1. dicens, omnem dissimulationem esse peccatum; quia loquitur de illa simulatione, quæ ex intentione ipsius simulantis falsum significat, non autem de illa, quæ ex acceptione audientium tantum ad falsum significandum detorquetur. Com:

1. Reg.m 21: 13: Et simulauit os suum coram eis, et collabebatur inter manus eorum et impingebat in ostia portæ, defluebantque saliuæ eius in barbam. Quæres an David peccauit fingendo se stultum? Affirmant nonnulli: ratio est quia, ut docet D. Thom: fictio est mendacium non uerbi, sed facti, mendacium autem est peccatum. Unde S. D.r Davidem non aliter excusat quam quod fictio hæc fuerit figuratiua; fuit enim figura Christi, qui cum esset Deus se aliud quasi simulauit cum carnem nostram assumpsit et in ea tot labores et dolores, ipsamque Crucem subiit. Negantur Abul:s et alii censent Davidem non peccasse, tum quia uidebatur ad hoc motus à Deo; unde et paulo post recedens ab Achis Dei instinctu composuit Psal.m 33: Benedicam Dominum in omni temp:re ⁊ Tum quia David impingens in ostia, aliasque actiones delira faciens ipso facto non dicebat se esse stultum, sed se id dumtaxat simulare uoluit ob instans periculum: Hoc autem erat uerum.

Porrò sic simulare non est mendacium, sed silentium dumtaxat ueritatis siue dissimulatio, qua quis aliam quasi personam, alios gestus, moresque induit iusta de causa, ut tegat ueritatem ad euadendum periculum. Sic Samuel finxit se ire ad imolandum in Bethlehem, cum iret ad ungendum David in regem c. 16. 1. Reg.

Psal. 5: 7: Perdes omnes qui loquuntur mendacium. Contra. Psal: 115: Omnis homo mendax. Sol. Est mendacium quod est peccatum mortale de quo hic loquitur. Et est mendacium quod est ueniale, de quo illud est intelligendum. Sed ad sciendum quod mendacium sit mortale et quod ueniale, notanda est distinctio Augustini qui ponit octo genera mendaciorum. Primum mendacium est quod fit in doctrina Religionis, ut Christum non esse passum vel natum, quę sunt contra articulos Fidei. Secundum quod nulli prodest, et alteri obest, ut mendacium detractionis et falsi testis in causa criminali. Tertium quod prodest alicui, ita ut obsit alteri, ut mendacium testis in causa pecuniaria. Quartum quod fit sola mentiendi fallendique libidine, quasi sine causa et utilitate. Quintum est, quod fit placendi cupiditate, ut mendacium adulationis. Sextum quod nulli obest,

et prodest alicui ad evitandum periculum pecuniæ, ut si quis sciat pecuniam alicuius iniuste tollendam et ubi sit, se nescire mentiatur. Septimum quod nulli obest, et prodest alicui ad evitandum periculum personæ, ut si mentiatur nolens prodere hominem ad mortem quæsitum. Octavum, quod nulli obest et ad hoc prodest, ut aliquid tueatur ab immunditia corporali ut si volenti corrumpere virginem mentiatur eam esse coniugatam. A magistris autem fit trimembris divisio: Quia mendacium aliud est perniciosum, aliud officiosum aliud iocosum. Sub pernicioso continentur quinque genera primæ distinctionis. Sub officioso tria ultima. Quidquid continetur in quinque generibus primæ distinctionis est mortale. Officiosum verò et iocosum secundum omnes est veniale. Aug.

Ecclesiasticus 23: 9:

Iuvationi non assuescat os tuum, multi enim casus (sapius) in illa (iuvatione, vel assiduitate. Vetat hic Auctor, non iuvamentum, sed assuefactionem, sive assiduitatem iuvandi. Victus autem omne iuvamentum tres habere comites. Veritatem rei, vel ad minus conscientiæ; iudicium, id est

discretionem; iustitiam, id est causam iustam iurandi. Aug.

10: Nominatio vero Dei non sit assidua (in iurando. Aug.) in ore tuo, et nominibus Sanctorum non admisceaveris: quoniam non eris immunis ab eis. Verum iuramentum, nunc vetat quamlibet Dei et Sanctorum levem et irreverentem nominationem: sunt enim nonnulli qui tertio quolibet verbo, Deum, Christum, Sacramenta, temere nominant. Quae sane non parva Dei et Sanctorum est irreverentia.

11: Vir multum iurans (id est assuetus iurare) implebitur iniquitate, purà periuriis, blasphemiis, iniuriisque et non discedet à domo illius plaga. Vindictae.

12: Et si frustraverit (si iuramentum non impleverit) delictum illius super ipsum erit: et si dissimulaverit, delinquet dupliciter. q.d. Si frustra iuravit, ità ut quod iuravit re ipsa non praestiterit, hic reus erit delicti, eiusque poenam sustinebit: si insuper illud corrigere et expiare neglexerit et dissimulavit, dupliciter peccabit, scilicet primo:

fallendo, et iuramentum non implendo; secundò pec-
catum hoc, pura periurium non expiando. Caut:
Dupliciter. Primò, quia simulatione celat veritatem.
Secundò, quia per falsitatem simulatam alios mittit
in errorem. Aug: Simulata equitas, non est equitas,
sed duplex iniquitas. Aug:

14: Et si in vacuum iuraverit (id est sine causa) non iusti-
ficabitur (id est, non iure iurabit, imò iniurie) replebitur
enim retributione (id est, pena respondenti peccato) domus
illius: (id est, corpus, vel conscientia quod erit in inferno. Aug:
Moneat hoc qui iurandi habent consuetudinem (etsi sine
mendacio, vel proximi damno iurent) et leviter tetrio
quoque verbo iurant. Sic crebro iurantes crebra in do-
mibus suis vident infortunia, ut faciant iacturam filiorum,
rerumque, ac causam non advertunt, nimirum irre-
verentiam in Deum, ac temerarium iuramentum, quo
Sanctum Dei Nomen profanant. Caut:

Math: 5: 33: Iterum audistis quia dictum est antiquis: Non periu-
rabis: Reddes autem Domino iuramenta tua.

968
220:

id est, solues et implebis quod te facturum iuraueris Domino.

34. Ego autem dico vobis non iurare omnino, neque per cęlum, quia thronus Dei est (35) neque per terram, quia scabellum est pedum eius: neque per Hierosolymam, quia ciuitas est magni regis (36) neque per caput tuum iuraueris, quia g Explicat et perficit hic Christus præceptum secundum Decalogi de non peierando, quod perperam explicabant Scribę et Pharisęi. Primò, enim asserebant iuramentum esse et obligare, si fiat per Deum, eumque in testem vocet; non verò si fiat per creaturas. Christus hic contrarium docet: In creaturis enim intelligitur Creator: illę enim creatę sunt à Deo, totumque quod habent, habent à Deo: et quidquid sunt, ~~habent à Deo~~ Dei sunt. Qui enim iurat, Deum, qui est prima veritas citat vocatque in testem sui dicti, quod iurat. Iurans ergo per creaturam vel ipsam facit Deum, quod est scelus idolatrię, vel in creaturam Deum subintelligat oportet. Secundò errabant Scribę quod putarent hoc præceptum solum

uetari periurium. E contrario Christus hic docet illo uetari omne iuramentum omnemque irreuerentiam et abusum Nominis Dei.

Ex hoc loco Pellagiani docuerunt nullum iuramentum Christianis esse licitum. Verum hic est error in fide, quem damnat perpetuus Ecclesię usus, atque exempla Pauli et Sanctorum qui iurasse leguntur ut patet Rom: i. 9. 9 Cont. Itaud praeceptum: Non iurare omnino datum est Apostolis soli cum primitiuam fundaverunt Ecclesiam: si enim tunc iurassent reputaverimus non tam perfecti, unde scandalum oriretur. Aug: S. Bernar: dus ait non esse praeceptum, sed consilium dumtaxat. Cont. Permittitur autem iurare, Primò, propter incredulitatem hominum, ne peccent malè suspicando de bonis; pro ueritate confirmanda; pro pace reformanda; pro amicitia contrahenda; pro ueritate declaranda; pro calumnia sopienda; pro fidelitate seruanda; pro subiectionis recognitione; pro consuetudine Ecclesię seruanda. Aug:

132: Sit autem sermo uester: est, est: non, non q. d. Sermo

277 270

232:

vertev sit simplex affirmatio, uel negatio / quod autem his abundantius est à malo est. Id est, à consuetudine iuvandi orta ex hominum diffidentia. Dum enim uiderunt homines sibi non credi nisi iuvarent, cœperunt quibuslibet dictis suis addere iuvamenta, ut iis fidem conciliarent, sed per hanc iuvandi frequentiam, hoc promeriti et consecuti sunt, ut iam eis etiam iuvantibus non credatur. Corn:

Iosu: 8. 4: Contra insidias post ciuitatem /6/ putabunt enim nos fugere sicut prius /7/ nobis ergo fugientibus, et illis persequentibus, consurgetis de insidiis, et uastabitis ciuitatem. Quærit hic S. Augustinus. An hæc simulatio sit licita? Videtur enim esse mendacium quod semper est turpe et illicitum: sicut enim mendacium fit uerbis, sic et factis ac tunc dicitur simulatio quæ non est aliud quid mendacium in actionibus uitæ; scilicet cum quis per has intendit aliud significare quam interius in animo sentit, ut faciunt hypocritæ, qui simulant sanctitatem ut

De Iuramento

alios decipiant, eorumque gratiam sibi concilient.
Resp. esse licitum quia ut recte notat Suarez, men-
dacium non facile committitur factis, quam verbis:
verba enim proprie instituta sunt ad significandum
mentis conceptus, non facta, unde verba determi-
natam et praecisam habent significationem, quae
si mentis conceptui adversetur, est mendacium;
facta autem vagam et indeterminatam imo dubiam
et ambiguam saepe habent significationem. Quare
etiamsi videantur mentis conceptui adversari, re-
vera tamen non adversantur ac proinde nec con-
tinent mendacium, v.g. Si Iosue hic verbis dixis-
set Haiensibus: Nos metu vestri fugimus, quia
timemus a vobis caedi, mentitus fuisset. Iam
autem hoc non dixit verbis, sed factis hoc visus
est dicere, sed revera non dixit. Fugit enim
hos et retrocessit non ut significaret se metuere
Haienses, ideoque fugere, sed ut eos ex urbe eliceret

272
238.

ad se insequendum ac insequentes cingeret et mactaret. Hoc enim vere intendebat, non aliud, et hoc vere significabat hec materialis eius fuga, id est retrocessio: non ergo mentiebatur, quia quod facto significabat hoc corde intendebat. Sciebat tamen Haienses aliter suam hanc fugam interpretaturos, scilicet se fugere metu cedis, itaque decipiendos, sed hanc eorum deceptionem ipse facto suo non significavit, nec formaliter intendit, sed tantum fieri permisit ob suum comodum, ut scilicet eos eo se deceptos ipse caperet et occideret. Pun:

Psal. 62: 12: Laudabuntur omnes qui iurant in eo? Sed nonne contrarium habetur Math: 5: Ego autem dico vobis: non iurare omnino? Sol: Non dicit simpliciter non iurare omnino, sed addidit: Neque per celum, neque per terram &c et ponit tantum creaturas: hic autem dicit: Qui iurant in eo, scilicet Deo, non in creaturis. Unde ibi Math: 5: dicitur: Reddes

Domino iuramenta tua. Dicit autem, laudabuntur omnes, iurat enim Deus, iurat Christus, iurat Angelus, iurat Apostolus, iurat Ecclesia quia in illo præcepto de iuramento non clauditur os iurantium vera. sed, obstructum est os loquentium iniqua. Eccl. 23: Iurationi non assuescat os tuum: multi enim casus in illa. Item: Psal. 118: 106: Iuravi et statui custodire iudicia iustitiæ tuæ, id est, iusta iudicia tua. Bene autem coniungit, iuravi et statui, quia multi iurant et non statuunt id est non firmiter statuunt, quod statuunt, nec stabiliter tenent, quod iuraverunt. Notandum autem, quod est iuratio mala et contingit peccare iurando multis modis: Unde versus

Stulta, dolosa, placens, mendax, temeraria, fortuita.
Detestans, irrita, provocans, super idola, membra.
Non sine peccato est omnis iuratio talis.

Stulta est quæ fit de incognitis. Dolosa fuit iuratio

247 226

Ab eo quod petis, Marc: 6: Quidquid petieris, dabo tibi.
Placens. Zach: 1: Ipsi vero adiuvaverunt in malum.
Mendax. Zach: 8: Iuramentum mendax ne diligatis.
Temeraria. Sap: 14: Deiurant cito. Iniusta. Eccl:
23: Si in vacuum iuraverit, non iustificabitur.
Detestans. Matth: 26: Tunc cepit detestari et
iurare quia non novisset hominem. Frequens.
Eccl: 23: Vir multum iurans replebitur iniqui-
tate. Invocat. Hierem: 5: Quod si etiam
vivit Dominus dixerint, et hoc falso iurabunt.
Super idola. Sap: 14: Iuraverunt iniuste in-
per idolo. Super membra. Matth: 5: Dico
vobis non iurare omnino neque per cælum,
neque per caput tuum, Aug.

Psal. 139: 10: Labor labiorum ipsorum operiet eos. Mendacium
vere dicitur labor. Laborat enim qui fingit
quid dicat veritas e contra facile dicitur. Vel sic
labor labiorum, id est, falsa et mendax assertio

cont

torum, operiet eos, quia de sua falsa assertio-
ne superantur. Aug.

Prov. 6. 16. Sex sunt quae odit Dominus &c. 17. Linguam men-
dacem. Triplex est mendacium, scilicet officiosum,
iocosum et perniciosum: tertium solum est peccatum
mortiferum ideoque exosum, reliqua duo venialia
sunt. Loquitur ergo hic de mendacio perni-
cioso, quod Deo et hominibus valde est invisum:
tum quia directe adversatur Dei veritati et fi-
delitati, tum quia iniurium est proximo, illique
grave damnum iniuste infert: tum quia evertit
omnia hominum commercia, contractus et societates,
ideoque toti reip. est exitiale. Quis enim contractum
ineat negotietur, tractet cum eo qui mentitur
et fallit; qui quod dicit, non praestat, qui promit-
tit nec facit: lingua enim homini data fuit tum
ad Deum laudandum, tum ad vitam socialem ut
quisque quod corde concipit, hoc ore aliis enunciet,

itaque contrahet, fœdera, connubia q; ineat. Quod si id non facit sed fraudolenter aliud dicit ore, aliud seruat in corde. hic lingua sua abutitur ad noxam proximi et quantum in se est, omnem ciuilem conuersationem euertit. Corn.

Prou: 13: 5: Verbum mendax iustus detestabitur. Per uerbum mendax quoduis mendacium, dolum falsitatem accipe, præsertim quæ Deo iniuria est, aut proxi=mo noxia. Hæc enim est peccatum mortiferum, ideoque eam execratur iustus, utpote amator et filius ueritatis et uirtutis: quapropter magnum honorem et laudem apud Deum et homines me=retur et obtinet: impius e contra amat men=dacia, dolos et fallacias, quia osor est ueritatis et iustitiæ, ideoque pudorem et probrum meretur. Salomoni astipulantur ueteri Philosophi q; Melius est uinci uera dicentem, quam uincere mentientem. Nichil tam uernaculum sapientiæ

quam ueritas. Aristoteles rogatus: Quid lucri facerent mendaces? Vt uera loquentibus, inquit, non credatur. Omnino non est mentiendum. Apertum enim mendacium maxime impedimento est ad ueniam consequendam. Epictetus dictitabat mendaces omnium scelerum et iniuriarum auctores esse. Denique passim sapientes et Philosophi et Christiani explodunt illud Platonis paradoxum: Mendacio quandoque utendum est tanquam elleboro. Mendacium concedendum est Medicis, aliis uerò minime. Tritum est illud: Ostende mihi mendacem, ostendam tibi furem. Prou.

Prou. 14: 5: Testis fidelis non mentitur: profert autem mendacium dolosus testis. Fidelis testis non mentitur, quia quam chara est ei fides, tam chara est ei ueritas, tamque exosum mendacium: quare sicut fides sic et ueritas ei sancta est, et instar iuramenti.

278

280

Quocirca Christus fidelibus uetuit iurare, Matth: 5: 34: Ego autem dico uobis, non iurare omnino; sit autem sermo uester, Est, Est; non, non: quod autem his abundantius est, à malo est / puta à uitio incredulitatis et diffidentiæ innato homini ex peccato originali, quo fit ut sæpe simpliciter asserenti non credatur, iuranti credatur. Iurare ergo non licet nisi cogat hoc malum, puta incredula hominis diffidentia. Unde in paradiso, ubi hoc malum non erat, iurare non licebat, sicut nec licet Beatis in cælo: Beati enim ita ueraces sunt, itaque reuerentes Nominis Diuini, ut iurare non audeant. Isocrates sicut Aenesilis: Boni uiri, inquit, fideliores se exhibent iuramento. Plutarch: Iuramentum, inquit, homini libero pro tormento est. Romani à seruis ueritatem extorquebant per tormenta, à ciue iuramento, à sacerdote solo uerbo. Ita Chromatius Aqui-

De Iuramento

Aquilejensis Episcopus, quem S. Hieron: sui
aevi vocat doctissimum et sanctissimum, scri:
bens in citata Christi verba Matth: 5, ait Chri:
stum servire fidelibus juramentum, quia ipso:
rum verba, ait: Ita semper debent esse vera,
ita fidelissima, ut pro juramento habeantur. Ac
subdit: Iuramenti causa est, quia omnis qui
jurat, ad hoc jurat, ut quod verum est loquatur.
Et ideo Dominus inter juramentum et loquel:
lam nostram nullam voluit esse distantiam:
quia sicut in juramento nullam convenit esse
perfidiam, ita quoque in verbis nostris nullum
debet esse mendacium: quia utrumque perju:
rium et mendacium divini (ostii) / alti verius
sequens judicii / pena damnatur, dicente Scriptura:
Os quod mentitur occidit animam. Quisquis
ergo verum loquitur, jurat, quia scriptum est:
Testis fidelis non mentitur. / Iurat non expresse

et formaliter, sed tacite et finaliter: quia scilicet verum loquitur, ob quod omnis iuramenti usus introductus est: iuramenti enim finis est veritas et veritatis cognitio, quia fidelis sine iuramento simpliciter rem ita se habet enunctians assequitur: interpretative ergo iurat, id est, facit et assequitur id simplici assertione, quod alius qui iurat assequitur suo iuramento. Haec Chromatii verba transcripta sunt in Ius Canonicum, et habentur 22. quaest. 5. cap. in: Iuramenti: ubi recte Glossa notat, scilicet, Dominus inter iuramentum et loquelam nostram nullam voluit esse distantiam, / Similitudinem esse ad generalitatem praecepti, quod, sicut Deus vetuit omne periurium, ne quis putaret extra periurium licitum esse mentiri, ut explicat Chromatius, alioqui in gravitate sceleris magna est distantia: longe enim gravius peccat

periurus peierando, quam mendax mentiendo. Corn.

Prov. 17. 7. Non decent stultum verba composita, nec principem labium mentiens. Mendacium probrosum est omni homini, sed maxime principi. Primo, quia maiestatem principis decet veritas, fidelitas, vel maiestatem principis decet veritas, fidelitas, ueracitas: maiestatem ergo suam ac seipsum sedit, si mentiatur. Nam, ut sapienter ait S. Cyprianus: Haec est vera dementia, non cogitare, nec scire, quod mendacia non diu fallunt: noctem tam: diu esse, quamdiu illucescat dies; clarificato autem die et sole oborto, luci tenebras et caliginem cedere, et quae grassabantur per noctem latrocinia, cessare. Item, quia mendacium ut: rium est servorum, ait Arist: Ergo dedecet ingenuos, praesertim principes, qui sunt vicarii Dei, ac Deum, qui est prima veritas ipsaque fidelitas, in terra repraesentant. Unde docet S. Thomas, principi abominandum esse mendacium

ut venenum. Aristoteles monet principes
non peierare, timentes et divinam ultionem
et humanam infamiam. Nulla res, ait Cicero,
vehementius rempub. continet quam fides.
Perfidiosum, et nefarium est fidem frangere,
quae continet vitam, nam, ut ait Arist. In-
firmatis violatisque pactis, tollitur inter ho-
mines commerciorum usus. Quocirca Romani
in Capitolio vicinam Iovi aram Fidei posuere.
Fides enim, inquit Seneca, sanctissimum hu-
mani pectoris bonum est. Impia est ergo illa
politicorum vox: [illegible]es, regnandi causa violandum
est, aliis rebus pietatem colas.

283

285.

De Blasphemia.

284
286:

De Blasphemia.

Blasphemare est Deo aliquid denegare quod ei conuenit; uel attribuere quod ei non conuenit, dicendo: Deus non est iustus, Deus est miser: ut patet ex S. Thoma qui ait esse etiam blasphemiam creaturæ attribuere, quod Deo proprium est, u. g. Omnipotentiã: Quidquid enim est Deo proprium est ipse Deus (arguit S. D.r) sed creaturæ attribuere id, quod est proprium Deo est Deum dicere creaturam. Ergo. Paulo aliter dici potest: Blasphemia committitur quando proferuntur uerba uel exercentur signa contra Deum, aut Sanctos quibus inhonorantur, seu uilipenduntur, etiã solum mentaliter.

Blasphemia alia est communiter dicta, quæ ex dictis patet, et opponitur uirtuti Religionis: alia hæreticalis, ut si quis serio et pertinaciter dicat: Deus non est iustus, uel nego Sanctos; uel si dicat eos non esse Sanctos, eos apud Deum nihil posse. Et hæc non tantum Religioni, sed et confessioni Fidei opponitur, iuxta D. Thom: et de ea assero, quidquid dixi de hæresi, modo adsit error in intellectu cum pertinacia. Si enim quis ore dicat, maxime in ira Deus est iniustus quod tamen in corde non tenet, est quidem peccatum mortale, sed non est

hæresis,

286

288

heresis, nec blasphemia hereticalis.

In peccato blasphemiæ necessario explicandum est an sit in Deum, B. Virginem vel Sanctos: Ita tutior sententia; et probabilior. Ratio: Quia blasphemia in Deum virtuti Latriæ, quæ in Sanctos virtuti Duliæ; quæ est in B. Virginem repugnat virtuti Hyperduliæ. Ergo specie differunt. Item probabilius et tutius est exprimendam etiam esse qualitatem blasphemiæ, nimirum an blasphemauerit Deo aliquid tribuendo quod non habet ut appellando crudelem; exprobrando etiam ipsi quod habet v.g. membra Christi, vel per ea turpiter iurando, vel id quod Deo est proprium creaturæ tribuendo.

Blasphemia non tantum committitur verbo, sed etiam facto ut si quis contra Deum in aerem expuat, vel ut Iulianus Apostata suum sanguinem proiiciat in contemptu Dei. Ubi etiam explicandus in Confessione est modus blasphemiæ, nimirum an fuerit expressa voluntas inferendi Deo, vel Sanctis conuitium, an implicita. Et tali facto etiam potest quis se hereticum constituere.

In blasphemia formali, seu quæ fit ex perfecta deliberatione

non

non datur parvitas materiæ, propter quam fiat peccatum veniale.

Indeliberate blasphemans ex consuetudine, quam advertit, et ex notabili negligentia non curat emendare peccat mortaliter, secus si nitatur contra eam: Ratio: Quia talis blasphemia est voluntaria in sua causa in primo, secus in secundo casu. Ex quibus patet, quomodo Confessarius debeat iudicare de iis qui non Deo, sed homini indignando proferunt Nomen Dei, Septem Sacramenta, vulnera, Sanguinem Christi; non enim committitur communiter blasphemia, sed vanus usus Divini Nominis, qui saltem est grave veniale vel interdum mortale vel ratione periculi incidendi in blasphemias, vel ratione scandali. Pro quo uberius Nota. Blasphemiam duobus modis fieri posse .i. Primo sic, ut blasphemans non advertat id, quod dicit, vel facit, esse blasphemiam, ut si verba erumpant ex subito motu et non advertatur eorum significatio et hæc indeliberatio et subreptio excusat à mortali. Sic ut blasphemans verborum significationem consideret, attamen ex passione, deliberationem

omnino

omnino completam antecedente, ea profert; et in hoc casu blasphemans à mortali non excusatur, ut nec is, qui ex subito motu iræ alterum occidit: quia gravitas materiæ eum cogit ad deliberationem, eo ipso, quod advertit ad id, quod facit.

Quid iudicas de iis, qui passim dicunt: Hoc tam verum est, quam quod Deus extet, quam quod Verbum Caro factum est. Hoc tam verum est, quam Evangelium.

Ratio dubitandi est, quia veritatem obiecti creati æquare cum Divina est mortale, imo hæreticum.

Dico: Si homo per tales locutiones absolute intenderet æquare infallibilitatem veritatis creatæ, et increatæ, peccaret mortaliter et esset hæreticus, sed hoc nonnunquam, vel raro contingit. Committitur ergo vanus usus Divini Nominis, qui aliquando veniale, aliquando mortale peccatum est ut ante dictum est. Ex quo patet ad rationem dubitandi. Jurgandi. &c.

De Blasphemia.

Leuit: c. 24: 11: Educ blasphemum extra castra, et ponant omnes qui audierunt manus suas super caput eius, et lapidet eum populus universus.

Moris erat apud Iudeos, ut testes super caput rei manus impone= rent, quasi significantes hoc caput esse impium contra quod fe= rant testimonium, ideoque mortis esse reum. Disce hic quam crimen sit blasphemia, quamque acriter illud puniat Deus, etiam in hac vita. Julianus Apostata in bello Persico divi= nitus lancea inter costas percussus, sanguinem suum manu in cœlum iaculans: Reple, inquit iram tuam Galilee (ita Christum vocabat) vicisti, vicisti. Arrius in Filium Dei blasphemus, alvum purgaturus, viscera effudit, et expiravit. Nestorii lingua à vermibus erosa est, eo quod dixisset B. Virginem esse Christiparam, non Deiparam. Olympius Episc: Arrianus, Cartha= gine in Elyanensium balneo lavans, cum Trinitatem publice blasphemaret, tribus ictus iaculis, tanquam fulminibus consumptus est, anno Christi 510. Fridericus 2. Imp. dicebat, tres fuere insignes impostores, qui humanum genus seduxerunt, Moyses, Christus, Mahomet, unde ab Innoc: 4. in Concil. Lugd. damna= tus imperioque spoliatus est. Decem sunt anni ex quo Hollandi B. Virginis Achenensis sacellum expilarunt: ab illo tempore Certen= dam perdiderunt, omniaque illis infeliciter (cum prius feliciter) cesserunt. Fuit inter eos eques habens equum cecutientem qui veniens

ad

ad sacellum invidens dixit: Si Maria hic miracula facit, illuminet
meum equum. Audiit Virgo blasphemiam, moxque equo visum
restituit, ipsum vero equitem blasphemantem excæcavit. Contr.

Isai: 37: 23: Cui exprobrasti, et quem blasphemasti, et super quem exaltasti
vocem et levasti altitudinem oculorum tuorum? ad sanctum
Israel. q. d. Ignoras ista vesana superbia et blasphemia tua
ô Sennacherib, quod Deum lacessere, et ad duellum quasi
provocare sis ausus: nescis quod ipse sit Sanctus Israelis
custos et protector qui non patietur sanctam suam ur-
bem et templum â te pollui et contaminari sed acer
eius vindex contra te insurget. Moral. disce hic
quam Deus in blasphemos excandescat, eosque acerrime
puniat. Blasphemus Antiochus insanabili et invisi-
bili plaga percussus est. Propter blasphemiam D. Paulus
Alexandrum et Hymenæum dæmoni torquendos tra-
didit. S. Gregor. Pontif. narrat puerum quinquennem
Deum blasphemare assuetum à dæmone è sinu patris
abreptum. Iustinianus Imp: iurantem per Dei aliquod
membrum aut capillos aut Deum blasphemantes ultimo
supplicio damnavit, ut patet in authent. coll. 6: tit. 5.

Probare

De Blasphemia.

Roberto Francorum Regi, filio Hugonis Capeti, aliquan:
do in civitate Aurelianensi pro pace et regni sui
tranquillitate oranti Christus apparuit et responsum
dedit quod pacem non haberet in regno suo donec
blasphemias et crimina notoria extirparet. Nec mirum:
hæc enim procedere videntur ex contemptu, vel odio
in Deum: odium autem Dei peccatorum maximum est.
In vita S. Ioan: Chrysostomi narratur, quod cum S. Chrys:
laudaret S. Trinitatem quæ nobis suppeditat annuos
fructus, respondit ei Anthemius. Non Christus, sed
elementa mundi suis temporibus eos producunt secundum
providentiam. Nondum finem acceperat eius sermo, cum
maligno spiritu possessus, et terræ allisus misere iacebat
rugiens lacrymarum et timoris simul causa iis qui
aderant, pervertens quidem oculos, stridens autem den:
tibus, spumam vero ex ore turpissime expuens. Cum:
Matth: 12: 31: Ideo dico vobis: omne peccatum et blasphemia
remittetur hominibus) Scilicet remissibile est
peccatum de se) spiritus autem blasphemiæ

292

298.

non remittetur. Dicitur spiritus blasphemię quando aliquis ex certa malitia blasphemat contra Deum, quando miracula divinitus facta attribuunt diabolo, et est quędam species peccati in Spiritum Sanctum quę tacta est supra, videlicet impugnatio veritatis agnitę. Hyer.: Quidam blasphemant ex coactione, et hi peccant in Patrem, alii ex deceptione, et hi peccant in Filium, alii ex sola malignitate et hęc est persima species in Spiritum Sanctum. Est autem et hoc in genere sceleratissimum, et in quo malitia evexit usque ad summum, quando quis in Dei vituperiis delectatur et gloriatur. Quid ergo videtur aliud spiritus blasphemię, quam affectatio et desiderium vituperationis divinę. Dicitur

iure.

irremissibile, quia raveis et raro remittitur, ut dicit Alens: imò nunquam legitur remissum. Aug.: Dicitur irremissibile, quia de difficili est remissibile. Ego: Nota, Christum hic non loqui de omni peccato in Spiritum Sanctum, sed solum de blasphemia in Spiritum Sanctum, quæ verbis fit (eadem tamen cogitationis et operum est ratio) cum scilicet quis calumniatur opera manifestè divina et miraculosa ac pia et sancta Dei, ad salutem hominum ab eo facta, quibus ipse fidem et veritatem confirmat, uti est ejectio dæmonum, quæ cum sint opera bonitatis et sanctitatis Dei, attribuuntur Spiritui Sancto, qui ex vi processionis et spirationis suæ à Patre et Filio procedit, ut amor, bonitas et sanctitas.

894
c. 96.

Cum, inquam, quis hęc calumniatur, eaque scienter ex malitia adscribit diabolo, ut faciebant Pharisęi: tunc dicitur committere blasphemiã in Spiritum Sanctum; talis enim directe iniuriatur Deo, illique adimit suã sanctitatem et munditiem, quę appropriatur Spiritui Sancto, adeoque ex Deo facit diabolum. Addit S. Basilius, tales etiamnũ sunt, qui fructus et actiones Spiritus Sancti adscribunt contrario spiritui immundo: id quod plerique facimus, inquit, dum strenuum appellamus ambitiosum, et ei, qui iusta indignatione et zelo movetur, iracundię calumniam impingimus, et ad eundem modũ alia iniquis adducti suspicionibus emeritis nominibus de aliquo dicimus. Conť.

32. Et quicumque dixerit verbum contra Filium,

Hom.

hominis, remittetur ei: Id est, ad remittendum facile est, si peniteat qui ignoranter hoc dixit: qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc seculo, neque in futuro. Opponit Christus blasphemiam in Deum et Spiritum Sanctum blasphemiæ in Filium hominis, qua nonnulli humana conversatione et conuictu Christi offensi, facta eius humana calumniabantur, vocantes eum uini potatorem, amicum peccatorum et publicanorum, eo quod uiderent Joannem Baptistam abstemium, rigidum, austerum, et solitariam agere uitam: quæ proinde excusabilior erat, et minus uenia indigna, quia hominem tangebat, non Deum. Dicit: Non remittetur; id est, difficilius et raro remittetur et relaxabitur. Est enim blasphemia in Spiritum

Sanctum atrocissima, inexcusabilis et plenè venia indigna, ac, quantum est in seipsa, omnem medicinam et medium perveniendi ad remissionem aufert, et excludit. Opponit enim se directe et ex diametro Spiritui Sancto, eumque à se abigit: Spiritui Sancto, inquam, à quo solo absolui, curari et sanctificari poterat et debebat. Simili phrasi vocamus morbum incurabilem illum, qui medicinam non admittit, et cibum omnem respuit. Blasphemus tamen non claudit manus Deo, qui eius subinde, licet indigni, misereatur, eumque convertat, uti convertit S. Paulum, qui se blasphemum in Deum fuisse confitetur 1. Tim: 1: 13. Corn.

Act: 14: 13: Quod ubi audierunt Apostoli, Barnabas et Paulus, scilicet tam voces clamantium:

297
p 99

De Blasphemia.

Dei similes hominibus ad nos descenderunt;
quam strepitum et apparatum sibi sacrifica-
re volentium. Habebant enim donum lin-
guarum, aeque ac ceteri Apostoli, ac proin- 1. Timoth:
de Lycaones Lycaonice loquentes recte in- 1: 20:
telligebant, conscissis tunicis suis exilierunt
in turbas, clamantes (14) Viri, quid haec facitis?
Solebant enim Iudaei audientes blasphemiam et
sacrilegium, quale hoc erat sacrificare Apo-
stolis ut diis, in eius detestationem et execra-
tionem scindere vestes, ut hoc signo sibi cor
intima dolore tangi et quasi scindi testa-
rentur, ac blasphemiam cum blasphemo
dignam esse quae plane dirumperetur, et discin-
deretur. Quocirca vestes frequentius scinde-
bant a collo secundum humeros usque ad
pectus, ubi est cor et doloris sensus. Idem

fecisse

87

B.00:

fecisse etiam Gentiles liquet ex ~~Placido~~ Virgilio

Eneid: 13.

Tum pius Eneas humeris abscindere vestem.

Auxilioque vocare deos, et tendere palmas.

1. Timoth: 1: 20: Quos tradidi Satanae (id est, excomunicavi)

ut discant non blasphemare. Ambr.^s Castigen-

tentur et resipiscant à sua blasphemia et

haeresi: omnis haeresis est blasphemia in Deum,

qui est prima veritas; nam omnis haeresis

et haereticus, ut sua dogmata fidei contraria

statuat dicit et docet fidem non veram,

ac consequenter Deum verae fidei auctorem

esse falsum et mendacem. Male viventes,

inquit S. Chrys.^s ut futurorum metu et expecta-

tione carentur persuadere sibi omni studio

curant, falsa esse omnia quae nostra Religio

continet tempe de peccatis resurrectione, iu-

dicio futuro &c.

De foro.

SEMINARII CONVERSANI

84
300
:B.OR:

De voto.

Quid, ac quotuplex est votum, et quæ requisita ad eius obligationem?

Resp. 1. Votum est promissio deliberata Deo facta de meliori bono, et possibili. Ex quo sequitur quod debeat esse de re licita et grata. Explicatur ulterius. Dicitur 1. Promissio: Quia ad votum, licet requiratur, non tamen sufficit propositum aliquid bene faciendi in laudem Dei, quod bene nota propter homines, propositum et votum sæpe pro eodem sumentes. Unde qui non implet promissum, etiam firmiter et efficaciter conceptum, non peccat, quia nulla obligatione se obstrinxit. Votum ergo debet esse promissio formalis et expressa, saltem mente. Potest tamen interdum esse implicita, ut si alicui actui explicito volito sit, et sciatur annexum votum v.g. Castitatis Ordini sacro. Dicitur 2. Deliberata, de quo in Resp. 3. Dicitur 3. Deo facta. Quia votum est actus Latriæ, seu Religionis soli Deo debitus, adeoque ipsi soli fit principaliter, Sanctis vero minus principaliter, seu ut mediatoribus nos inter et Deum, sicut eis ædificamus templa, et altaria. Regularis non fit votum, sed promissio, quæ est materia voti, inquantum homo vovet se impleturum, quod Regulari promisit. Dicitur 4. De meliori bono. Pro quo nota. Dupliciter aliquid potest dici melius, vel maius bonum. Primò comparative ad aliud bonum, uti melius, et

maius

maius bonum est, omnia possessa propter Deum relinquere, quam ex bonis retentis eleemosijnam facere; melius est ædificare Ecclesiam, quam dare Calicem. Secundò comparatiue ad suum oppositum, ut melius est dare eleemosijnam quā non dare; maius bonum est seruare Castitatem quam inire coniugium. Ad uotum sufficit, si sit de meliori bono in secundo sensu.

Resp: 2. Uotum diuiditur 1. in absolutum seu cui nulla apponitur conditio, u. g. Uoueo eleemosijnam, uoueo ingressū Religionis; Et in conditionatum, seu cui conditio adijcitur u. g. Uoueo me daturum eleemosinam, si conualuero ex hac infirmitate. Et hoc iuxta comunem sententiam obligat conditione impleta. Si quis sua culpa impediat, ne conditio impleatur, manet obligatus uoto, ut soluat. Diuiditur 2. in reale et personale, et mixtum ex utroque. Uotum reale est, quod concernit rem familiarem, seu bona uouentis, ut si quis uouit ex suis bonis extruere altare, eleemosijnam dare &c. et hoc uotum si à uouente non sit impletum, tenetur hæres sub mortali implere, et ad id potest compelli per hæreditatis priuationem. Uotū personale est, quod solum concernit personam uouentis, et per eam tantum impleri potest, et non per alium, ut uotum

continentię q[ue] Et hoc non obligat heredem, nisi sponte ad id
se obliget. Mixtum concernit bona, et personam simul, v.g.
Vovit quis peregrinari ad talem locum sacrum, et offerre
decem pondo ceræ, hoc obligat heredem sub ea ratione
sub qua reale est, v.g. ad obligationem ceræ, non vero ad
peregrinationem, immo ut reale etiam potest impleri per
alium, ut si alius pro me det eleemosynam quam ego
vovi, tunc enim censetur is michi dedisse pecuniam, et
ego per eum eleemosynam.

Quid si vovens in voto personali non intenderit propriam
mortificationem, sed magis alterius utilitatem, v.g. ieiunare,
vel Missam legere pro animabus in Purgatorio. Dico.
Sententia affirmans, teneri implere per alium, si quem
facile habere possit, et non possit per seipsum, est consulenda
ut practice probabilior. Ratio. Quia in eo casu finis voti
potest obtineri per alium, et censetur hic fuisse mens voventis.

Quomodo vota ieiunandi, peregrinandi[que] facta a quibusdam Communi-
tatibus, Oppidisq[ue] obligent Successores. Dico, teneri ex pacto
saltem tacito, statuto, vel consuetudine vim legis habente, prę-
sertim cum adsit expressa, vel tacita approbatio Episcopi loci.

Dividitur 3:

88

304

306.

Dividitur 3. Votum in simplex, et solemne. Simplex est, quod emit=titur privatim, vel more arbitrij, et testibus, ac sine omni extrin=seca solemnitate: vel, si qui adsint, nemo tamen illam obliga=tionem nomine Ecclesiæ recipit. Solemne est, quod fit in facie Ecclesiæ cum omni solemnitate, in manu Superioris loco Dei illud recipientis. Votum solemne iterum aliud est Monachale, quod nimirum in approbata Religione post Novitiatum emit=titur. Alterum Clericale quo ligantur Clerici ex vi Ordinis Sacri. Vide Tract. de Ordine. Quarto dividitur votum simplex in temporale v.g. castitatis, et perpetuum. Quinto dividitur in pœnale, et votale, v.g. voveo disciplinam mihi dare, seu ci=licium portare, si talem domum suspectam intravero, est votum pœnale.

Resp. 3. Ad voti obligationem tria requiruntur, nimirum delibe=ratio, propositum voluntatis, et promissio. Deliberatio triplex in præsenti distingui potest, nimirum semiplena, plena, plenissima. Prima est, quæ ob valde imperfectam advertentiam ad obiectum quodammodo præuenit usum, seu iudicium rationis, saltem perfectum. et ideo actus ex ea procedentes non sunt perfecte humani, viv=tuosi, vel vitiosi; vel ad summum venialiter culpabiles ut sunt actus secundo primi, ad differentiam motus primò primi,

Deliberatio

Deliberatio plena est, dum ratio deliberat circa obiectum, intenditque operari sciens et prudens, iuditio per passiones nullatenus turbato, sufficitque ad rationem meriti et demeriti, immò ad omnem contractum humanum, ad Baptismum, ad Matrimonium: licet non ponderentur, nec attendantur omnes circumstantiæ possibiles circa obiectum, vel eventum. Plenissima tandem, seu perfectissima deliberatio est, dum maturo consilio conferuntur media in ordine ad finem, et attenduntur omnes circumstantiæ rei deliberatæ. Certum ergo est primò, quod ad votum non requiratur deliberatio plenissima, ut patet in multis Religiosis, qui non sciverunt de omnibus circumstantiis Religiosi status, et tamen tenentur votis. Secundò probabilius est, non sufficere semiplenam, sed requiri plenam deliberationem, seu talem quæ sufficit ad peccatum mortale. Nam deliberatio, quæ sufficit ad nos obligandos Diabolo per peccatum mortale, sufficit ad nos obligandos Deo per votum: sed ad primum requiritur deliberatio plena, et sufficit semiplena. Ergo. De secundo requisito, quod est propositum voluntatis, et de tertio, quod est promissio, in

306

308:

qua perficitur ratio voti, patet ex dictis in Explicatione R: 1.
Nota, ad votum simplex non requiri pronuntiationem oris,
nec aliorum testificationem, sed posse fieri sola mente, ut
patet ex S. Thoma q.

Quaeres, vota ex ignorantia, errore, vi, seu metu facta, sintne va-
lida, seu obligantne?

Resp: 1. votum factum ex metu levi, aut etiam gravi, juste incusso
tenet. Ratio 1. p. Quia metus levis debet despici et ex eo
agens adhuc agit voluntarie et libere. Secunda pars decla-
ratur in casu quo quis mortis reus, ut mortem evadat,
juberur à Principe facere votum Religionis, hic metus est
gravis, cum sit violentae mortis: et est juste, imò misericor-
diter incussus ad extorquendum votum saluare, in quod mors
violenta commutatur. Hoc votum tenet. Cujus ratio est:
Quia hic metus non tam provenit ab extrinseco quam ab intrin-
seco, nimirum à delicto propria voluntate comisso. Item qui
proponit votum, non tam infert metum quam aufert, dum
parat viam ad maius malum vitandum per votum. Nec tol-
lit libertatem, nec invalidat Matrimonium vi ~~metus~~ contrahere:

tur

verum, ut diceturus suo loco.

Resp: 2: vota etiam solemnia, facta ex gravi metu à causa liberā iniuste incusso directe ad ea extorquenda, licet iure naturae non sint irrita, bene tamen iure positivo, poteritque reclamari contra illa.

Resp: 3: vota facta ex ignorantia, dolo, aut errore circa substantiam voti, vel circa conditiones et circumstantias rei voti, adeo graves, ut moraliter existimentur pertinere, et redundare in substantiam rei voti, non obligant, seu sunt nulla: ut si quis voveat, sed per ignorantiam existimet se ad nihil teneri, seu obligationem non esse voto intrinsecam. vel si Rusticus voveat peregrinationem in Ierusalem, putans distare solum 6. aut 7. leucis, in quo casu ignoratur gravissima circumstantia. vel si quis ex errore putet, quod in monasterio non sint crebra ieiunia, frequens à carnibus abstinentia, ~~non~~ multae austeritates, quas si sciuisset non vouisset, talia vota sunt nulla. Ratio. Quia consensus erroneus est nullus, maxime si sit circa substantiam. Et quamvis praedictae graves circumstantiae sint accidentia in ordine ad honestatem rei

uotis, censentur tamen moraliter pertinere ad substantiam uoti, cum uouens non intendat illud obiectum nudum promittere, sed ut suis circumstantiis uestitum. Ergo.

Resp: 2. S. Antoninus, Sylvester, et alii tradunt hanc Regulam, quod nimirum uouens non obligetur in eo euentu, puta, grauis circumstantiae mutatae (quam excepisset, si tempore emissionis uoti de eo cogitasset. Ratio. Tum quia uirtualiter censetur noluisse se obligare pro tali casu. Tum quia, ut loquuntur Canonistae) in generali promissione non ueniunt ea, quae quis uerisimiliter in specie non promisisset, si praeuidisset. nisi sit circumstantia ualde modica, uel mere accidentalis, et solum impulsiua, de qua statim.

Resp: 3: Si ignorantia et error sint tantum circa quaedam accidentia, quae non sunt magnae considerationis, nec notabiliter excedunt existimationem uouentis, uota sunt ualida. Ratio: Tum quia ignorantia circa haec minuta relinquit uoluntarium simpliciter. Tum etiam, quia parum pro nihilo reputatur. Tum tandem, quia, si ignorantia circa extrinseca, et accidentalia inualidaret uota, frequenter multorum Religiosorum professiones

essent

~~Esset~~ Essent nulla, cum vix ullum votum emittatur, in quo praevi=
deantur, aut praevideri possint omnes difficultates futurae in
eius observatione.

Quaero 3. Quae est materia, seu res capax voti?

Resp: 1. cum S. Thoma propria voti materia sunt opera consi=
lii, seu quae aliunde non sunt praecepta. Ratio. Quia illa sunt
Deo grata, et absolute voluntaria.

Resp: 2. Vota consiliis Evangelicis contradicentia, aut cum eis incompos=
sibilia, ut non ingredi Religionem, nubendi, non mutandi &c.
sunt nulla, imo peccata mortalia. Ratio quia sunt Deo ingrata,
eo quod ponant obicem Spiritui Sancto, moventi super ea ad me=
liora. Ergo. Excipitur quoad Matrimonium casus in quo
si filius Regis unicus non nuberet, periclitaretur bonum com=
mune Regni, utpote quod deveniret in potestatem haereti=
corum, adeoque teneretur tunc nubere: et in eo casu votum de
Matrimonio omnino esset validum.

Resp: 3. De re praecepta potest fieri votum. Ratio patet ex
usu eorum, qui castitatem vovent, et tamen alias tenebantur
caste vivere et tunc contrahitur duplex obligatio, nimirum tempe=
rantiae et Religionis, estque circumstantia voti explicanda in

Confessione,

Confessione, si fiat transgressio.

Resp. 4: iuxta S. Thom: Votum de re praecepta spectante iam ad Religionem, v.g. de audienda Missa in die festo, est validum et circumstantia Confessario in casu transgressionis explicanda, saltem ut notabiliter aggravans.

Resp. 5: Votum de re mortaliter mala est nullum, et est in eo duplex peccatum mortale. Ratio. Quia animus peccandi mortaliter est mortale peccatum, nec minus peccatum est colere Deum peccato: quia est idem ac asserere Deo peccatum placere.

Resp. 6. Probabilius est cum S. Antonino etc. dicere, quod vovens peccatum etiam veniale, peccet mortaliter. Ratio. Licet peccatum veniale in se leve quid sit, fit tamen materia gravis in specie irreligiositatis, si offeratur Deo in cultum ob rationem datam ad R. 5. Ut et fit respectu iuramenti, quo Deus vocaretur in testem peccati venialis, v.g. mendacii iocosi. Ergo.

Quid sentis de eo, qui vovet rem bonam ob malum finem, v.g. eleemosynam ob vanam gloriam, ob prosperum successum in furto, in lite iniusta, vel ob gratiarum actionem pro tali successu in re iniusta habito? Distinguo cum nostro Sa. Croix: Si malus finis intrat in obiectum promissum, quod fit, dum intenditur principaliter,

votum est nullum, et peccatum: si verò malus finis solum sit motivum vovendi extrinsecum, ut si quis voveat Religionem militarem, ut habeat occasionem luxuriandi, votum valet. Idem est de eo, qui vovet Rosarium si habuerit filium ex adulterio. Est enim votum rei bonæ, cui malum jungitur extrinsecè.

Resp: 2: ex S. Thoma: Votum de re vana ac indifferenti, manente in sua indifferentia, est nullum, imò peccatum saltem veniale, v.g. votum de non pectendo crines, aut de non lavando caput, vel de non filando in Sabbatho de non abscindendo ungues in die Veneris, de non comedendo caput animalis in honorem S. Ioan: Baptistæ, non ire per talem plateam, non intrare talem domum. Ratio: Votum debet esse de re accepta Deo: sed nullum opus Deo est acceptum, nisi sit virtuosum, seu actus virtutis, uti non sunt illa vana et futilia. Ergo. Dixi, manente in sua indifferentia: si enim addatur aliqua conditio, quæ rem trahat ad speciem virtutis, tenet votum, ut si quis vovêt non ludere, ut vitet occasionem peccati; vel non ire per talem plateam, quia in ea obviat persona quæ est causa peccandi: cessare in Sabbatho ab opere servili, ut possit melius vacare Divino cultui.

Resp: 8: Votum nunquam peccandi mortaliter, aut uitandi certum ueniale, u.g. leue mendacium uel etiam omnia uenialia diui=sive, est ualidum. Ita S. Thomas: Ratio: Quia est de re Deo grata et possibili.

Resp: 9. Votum uitandi omnia uenialia collectiue, uel tale ueniale, quod nonnisi à perfectissimis uitatur, ut euagatio mentis sub oratione, communiter non tenet. Ita S. Thom: Ratio: Quia de re moraliter impossibili.

Quaer. Quanta est obligatio uoti, et quid tenendum in casu, quo quis dubitat, an uouerit? Vel non habuit animum se obligandi, uel saltem non implendi? uel obligandi solum leuiter in materia tamen graui?

Resp: 1: Obligatio uoti ex genere suo est sub peccato mortali, in parti=culari tamen, et in indiuiduo potest esse sub ueniali iuxta materiæ uoti quantitatem.

Resp: 2: Dubitans de uoto, eiusue obligatione, tenetur uoto: nec ei fauet possessio libertatis in dubio.

Ad seq: Resp: 3. Nota, in quadruplici sensu posse aliquid dici materiam leuem uoti. 1. Vt sit pars modica materiæ uoti, u.g. unus versiculus respectu Psalterii: Unum Aue Maria

vesperum Rosarii, si Rosarium vovit. 2. Ut sit obiectum ~~vade~~ totale Et hoc 3) vel non ordinatur ad utilitatem proximi v.g. unum Ave Maria quotidie in honorem B. Virginis persolvendum. Vel 4: cedit saltem secundario in proximi, v.g. pauperis comodum, v.g. unus denarius quotidie pauperibus dandus. Hoc notato. Resp: 3. Probabilius est, transgressionem voti in materia levi in primo 2. et 3. sensu esse semper venialem; in quarto vero sensu, si fiat semel aut iterum, etiam quidem venialem esse: si autem ita multiplicetur, ut perveniatur ad materiam gravem, esse mortalem. Resp: 4: Probabilius est, quod non sit in potestate voventis, in materia gravi se obligare sub peccato veniali aut in materia levi sub mortali. Ratio 1. Licet sit in potestate hominis vovere, vel non vovere, attamen supposito quod homo voveat, quantitas obligationis dependet ex quantitate obiecti secundum se quod ab intentione hominis non dependet. Ergo si materia sit gravis, vovens non potest eius obligationem limitare ad levem, vel e contra. Ratio 2. Ex opposita sententia sequeretur, esse in potestate hominis vovere castitatem et vota solemnia emittere, et se solum obligare sub veniali; quod est absurdum et contra Ecclesiae usum. Ergo.

Quaero 2 Quid faciendum illi, cui votum ex toto, vel ex parte est

factum impossibile.

Aliter. Nota materiam voti aliquando esse indivisibilem, ut votu de ædificando templo in loco ubi templum est necessarium, et sufficit Capella, votum ieiunandi in pane et aqua die Veneris: Aliquando verò divisibilem, ut votum ieiunandi per totam septimanam, votum dandi Ecclesiæ 100 Imperiales. Hoc notato

Resp: 1. Si materia voti sit indivisibilis, si una eius pars facta sit impossibilis, non tenetur vovens implere aliam (licet sit de consilio) nisi eius intentio fuerit ad singulas partes dividim se obligandi. Unde qui vovit perficere templum, quod ædificare est ei factu impossibile non tenetur ædificare Capellam, nisi prudenter iudicetur, quod intentio se ad illam extenderit. Qui vovit ieiunare die Veneris, et infirmatur, deobligaturq. Si verò materia sit divisibilis, tenetur quod potest, v.g. ieiunare per unum, alterumue diem in septimana dare 50. si non possit 100 salua congrua sua sustentatione et familiæ. Ratio 1. p: Intentio enim voventis non fuit aliter se obligandi. Ergo 2. pars patet ex Regula Iuris: Utile per inutile non vitiatur.

Resp: 2. Si pars impossibilis esset principaliter intenta, v.g. peregrinatio pedestris, et pars possibilis esset accessoria solum,

315
BOC.

ut oblatio, ad nihil tenetur, qui v.g. vovit peregrinationem, et oblationem. Si verò oblatio esset principaliter intenta, ut si esset in magna quantitate, teneretur eam mittere: si etiam posset peregrinari equo, teneretur ad id, dum non potest pedester, uti vovit.

Ratio: Accessorium sequitur suum principale.

Resp. 13: Qui post votum simplex castitatis contrahit, et consummat (in quo graviter peccat) matrimonium, tenetur illud servare quantum est in se, id est debitum non petere, nisi obtenta dispensatione; tenetur tamen uxori petenti reddere.

Ratio: Quia talis per votum se privavit iure petendi, uxorem verò innocentem iure suo privare non potest. Ex his sequitur 1. talem mortua uxore teneri integre ad castitatem, seq. 2. eam, quae vovit virginitatem, et postea fuit corrupta, teneri deinde servare continentiam.

Quid si votum non sit quidem factu impossibile, attamen difficile?

Dico: Non tolli obligationem, sed dari solum ansam facilius dispensandi.

Quae sunt causae votum dissolvendi?

Resp. Inter caeteras sunt duae speciales causae dissolvendi votum.

BIBLIOTHECA SEMINARII ROMANI

1. Nota.

1. Notabilis incomoditas in implendo. Cum enim votum sit voluntaria promissio, explicandum est secundum rationabilem intentionem voventis: sed is non censetur se obligare ad statim implendum cum gravi sua incomoditate. Ergo. Secunda est spei novorum alio tempore implendi promptius, devotius, et cum minori distractione. Sic enim cedit ad ampliorem Dei honorem, quem vovens intendit.

Quaer. Quot modis votum tollitur?

Resp. Varii sunt modi: 1. per simplicem cessationem. 2. per irritationem. 3. per dispensationem. 4 per interpretationem. 5. per redemptionem. 6. per commutationem.

Explicantur singuli modi.

Primus modus ~~explicatus~~ patet ex dictis ante de casu, si votum fiat impossibile. Item ex casu, quo quis vovit, non ire per certam plateam, aut non intrare talem domum ob occasionem, quae ibi datur, quae si omnino sit sublata, cessat votum. Huic modo addi potest modus cessandi per condonationem promissarii, uti dicetur q. de Iuramento.

Irritatio est remissio voti, qua superior votum sui subditi annullat,

sive

siue causam habeat, siue non, quia subditus suo uota non potest
superiorem ligare. Hinc nequit fieri nisi per potestatem do-
minatiuam. Qualis est in parentibus respectu filiorum, in
domino respectu seruorum, seu mancipiorum, in marito re-
spectu uxoris, in Praelatis respectu subditorum. Tamen certum
est, posse Superiorem peccare interdum irritando sine causa
subditi uotum, ut si id saluti eius spirituali esset ualde utile. Ex quo
Seq. 7: Quod parentes possint irritare omnia uota tam perso-
nalia, quam realia suorum filiorum emissa ante annos puber-
tatis, quia usque ad eos iure naturae in omnibus suis acti-
bus subduntur parentibus, eorumque loco tutoribus, et deest
eis perfectus usus rationis, ut patet ex S. Thoma. Certum
uota filiorum pure personalia post pubertatis annos facta,
parentes, uel tutores non possunt irritare, bene tamen rea-
lia ante annum 25. facta, iuxta S. Thom: quia usque eo
filii non sunt sui potestatis, quantum ad dispensationem domes-
ticam. Quoad uota mixta aliqui dubitant. Saltem certum est,
quod parentes possint ea suspendere pro tempore, si ex eorum
impletione sentiant aliquod damnum in re domestica ob

defectum

318
Bren:

defectum servitii filii. Matri viduę non Turrici dicta potestas non competit. Uti nec vivente patre ei competit, bene tamen eo defuncto, si sit Tutrix, vel Curatrix impuberis.

Seq.^o 2. Quod domini possint irritare vota realia suorum mancipiorum, imò et personalia, ex quibus damnificantur, ut votum orandi, peregrinandi, ieiunandi, Religionem assumendi. Dixi, ex quibus damnificantur; unde id non tenet de voto castitatis.

Seq.^o 3. Maritum posse irritare vota uxoris, v. g. peregrinandi, ieiunandi, eleemosynam dandi ę etiam facta ante matrimonium.

Quia Uxor subditur viro ut Capiti: Secus est de voto non petendi debitum: Quia in pertinentibus ad Matrimonium sunt pares, par verò in parem non habet imperium

Dispensatio est Iuris relaxatio facta ab eo, qui habet potestatem relaxandi, seu authoritatem publicam, qua deobligat subditum.

Differt ab irritatione, quod hęc requirat potestatem dominativam, hęc verò iurisdictionis; illa sit valida etsi fiat sine iusta causa: Dispensatio verò ad sui valorem probabilius requirit iustam causam.

Quęnam sunt iustę dispensandi causę? Sunt 1. Si ob mutatas, vel repente occurrentes circumstantias exsolutio esset mala,

inutilis,

inutilis, aut maioris boni impeditiva. Si vovens sit in morali periculo transgrediendi votum, sive periculum oriatur ex voventis statu, ut patet in Coniuge voto castitatis obstricto, sive ex animi, corporisve fragilitate, modo non sit ex malitia. 3. Si dubium sit de emissione voti. 4. Si sit emissum ex levitate, perturbatione, ira, metuve, metu. 5. Si eius impletio habeat extraordinariam quandam difficultatem.

Quinam habent auctoritatem dispensandi in votis? Habet Papa in totam Ecclesiam. Episcopus in sua Diœcesi, et omnes habentes iurisdictionem Episcopalem, vel quasi Episcopalem, ut sunt superiores Religionum respectu suorum subditorum (excipiuntur Curati, seu Parochi) ad omnia vota simplicia, Papæ non reservata, licet cedant in commodum alterius, modo hic nondum acceptaverint; alias non possunt sine eius consensu, ut patet in voto eleemosynæ a paupere acceptato.

Quænam sunt vota Papæ reservata? Sunt 5. in quibus nec Episcopi, nec Religiosi possunt dispensare, sed solus Papa, nimirum votum Religionis, Castitatis perpetuæ, peregrinationis in Ierusalem, et ad S. Iacobum in Compostellam, et ad limina Apostolorum.

In aliis

~~107~~
320
B.R.S:

In aliis votis possunt Episcopi

Interpretatio voti est prudens iudicium quo iudicatur votum aliquod particulare in hac persona, vel in hoc casu ~~vel~~ non habere, vel non necessario retinere vitam obligandi: quod potest esse sine dispensatione. Nam si alicuius voti obseruatio foret contra vectam rationem, sufficeret declaratio viri prudentis etiam iurisdictione carentis, asserentis votum vel absolute vel saltem in hoc casu non obligare.

Redemptio voti est, quando votum commutatur in aliquid, quod pauperibus, loco sacro, vel in usum belli sacri contra infideles est contribuendum: Sed hęc spectant ad commutationem, adeoque est idem cum ea

Commutatio voti est, quando pro eo, quod aliquis vouit, aliquid aliud faciendum vel à Superiore iniungitur, vel propria authoritate legitime suscipitur dum euidenter constat, illud in quod votu à vouente commutatur, non solum ex genere suo, sed etiam omnibus circumstantiis pensatis esse vouenti melius, et Deo gratius, ut si ipse vouens Calicem argenteum, quem vouit, commutet in aureum. Verum, si quis vouisset ieiunare vel cilicium portare, non potest hoc propria authoritate mutare in orationes, sicet oratio

sit

sit actus praestantioris virtutis, nimirum charitatis: non enim semper
Deo gratius et nobis utilius est facere id, quod est excellentius,
sed quod pro loco, tempore, et dispositione nostra magis con=
gruit saluti nostrae. Unde non potest ipsemet mutare in aequale.
Ad Commutationem requiritur 1. Iusta causa, quales sunt adductae
pro dispensatione, quia mutare est minus quam dispensare. 2.
Requiritur in Commutatione authoritas Praelati, nisi quando ipse
voventi commutat in evidenter melius.

Quid observandum in Commutatione voti? Dico: In illa omnia sunt
accurate taxanda, et notandae hae Regulae. 1. Ut bonum perpetuum
regulariter mutetur in aliam obligationem perpetuam. Ratio:
Quia Commutatio sonat aequalitatem rei ad rem. Secunda Regula:
Quantum possibile est, commutatio debet fieri in aequale non
quidem mathematice, sed moraliter, ad arbitrium boni viri, seclusa
fraude, et ignorantia. Hinc in commutatione voti peregrinationis
attendendi etiam sunt sumptus itineris, temporis expensi, et sumpti-
bus domi faciendis. Attendenda maxime est intentio voventis, an
voverit ire sumptuose vel simpliciter, cum, vel sine famulatu.
Tertia: Securius est commutare, quam dispensare. Quia per dispen=

Fol 329
(BR):

dispensatione vero adest sufficiens causa. Quarta: Omnia vota tam realia, quam personalia commutari possunt, et commutantur in vota, per quę homo efficitur verus Religiosus. Quinta: Consultius est, non tamen necessarium, vota realia commutare in realia, et personalia in personalia. Sexta: Non debet attendi valor, et prestantia operis secundum se, quia alias votum perpetuę castitatis et similia possent commutari in unicum Missę Sacrificium, quia hoc est infiniti valoris, et infinitę gratum Deo; sed debet commensurari obligationi et debito penitentis. Potest tamen interdum etiam spectari valor operis ad causandam gratiam; hinc merito credi potest, quod una hebdomadalis Confessio, aut Communio ęquivaleat quotidiano Rosario. Septima. Commutatio aut dispensatio voti, facta virtute Iubilęi, perennis ieiunia, Confessionemque non valet, si non impleantur requisita pro Iubilęo. Octava: Commutatione voti in aliam materiam semel facta, non reviviscit prioris materię obligatio, licet votum nisi ex malitia impotens fiat. Nona: Facta commutatione in ęquale potest vovens pro libitu resumere primum votum: Quia hec videtur esse intentio commutantis. Si vero est facta in melius, probabilius est non posse, quia illa commutatio habet vim voti.

De voto.

Ecclesiastes 5: 3: Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere (ultra praescriptum terminum voti expectando, tunc enim in mora esse indicatur vovens, et non ante. Sed si aliquis sine termini appositione votum emiserit, dicit Lex: Quod sine die promittitur incontinenti deberi) displicet enim ei infidelis (id est, non impleta) et stulta (id est, indiscreta) promissio. Sed quodcumque voveris (compos mentis, grave debita, et quae vovere potes) redde. Ita, dicit Glossa: Aug.

2\. Multoque melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere. Delirant Heretici nostri temporis, dum ex hoc loco damnant vota castitatis, religionis, ieiunii, ac voti reos absolvunt. Non enim ait Eccles. Bonum est non vovere, vel malum est vovere: sed, melius est, q. d. Melius est non vovere, quam votum facere et violare. Optimum est ergo votum facere, et illud praestare. Hic enim est duplex actus Religionis, et Caritas cuiusque Dei, primò in eo quod rem Deo voveat, et consecret. secundò, quod consecratam illi exhibeat. Nam idcirco displicet Deo infidelis et stulta promissio, quia placet fideliter et prudenter suscepta: et hac de causa melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere, quia bonum est promittere, et quod promiseris, praestare. Etsi ipsum non promittere

1028 394 (329)

dicatur melius, non absolute, sed respective, quando scilicet non implendum est quod promittitur. Melius ergo est opus factum ex voto, quam sine voto. Ratio est triplex. Prima, quod votum sit actus religionis et latriæ, ut dixi, quæ inter morales prima et nobilissima est virtus; sicut charitas inter Theologicas. Quare actus v.g. ieiunii in se simplex est virtus, puta actus temperantiæ, sed si accedat votum fit duplex, duplicique valoris et meriti. Accedit enim dignitas religionis et voti, quæ longe nobilior est temperantia. Quocirca sicut religio melior est ~~irreli~~ irreligiositate, ait Salvian: sic melius est ieiunium votum, quam non votum. Ita D. Thomas. Secunda, quod qui facit ~~votum~~ opus, actum dumtaxat dat Deo; qui vero addit votum simul cum actu, dat vim et potentiam, puta voluntatem et libertatem. Hanc enim per votum tradit Deo, ut non liceat in contrarium ei, quod vovit velle. Facit ergo sicut ille qui dat principi non solum fructus, sed totam arborem cum fructibus, ait S. Anselm. Tertia, quod votum voluntatem ex se flexilem et inconstantem in actu virtutis, quam vovet, roboret et confirmet quo fit, ut actus qui ex voto prodit, sit firmior, robustior et constantior, ideoque melior et perfectior, iuxta illud S. Bernardi. Felix necessitas quæ ad meliora compellit. Conc.

Levit: 27: 26: Primogenita quæ ad Dominum pertinent, nemo sancti-
ficare poterit et vouere, siue bos siue ouis
fuerit, Domini sunt [q. d. Hæc primogenita Do-
mino imolari debent ratione primogeniture, ut
patet Num: 18: 15: nolo ergo ea michi vouea-
tis, cum tota sint mea etiam ea non uoueatis. Hinc
docere uidetur Abulens. non esse proprie uotum
si quis uouerit rem præceptam, u. g. non colere
deos alienos, licet arctius talis obligetur, quam si non
uouisset. Ratio Abul.s est Quia, inquit, uotum
est spontanea tantum oblatio. Verum hæc sententia
absolute non est uera: possumus enim uouere
omnem rem bonam et sanctam, siue ea consilii sit,
siue præcepti; bonum enim et laudabile est rem
eamdem præstare ex religione et uoto, quam
præstare tenebatis ex obedientia. Noua enim
bonitas uirtutis religionis, ex uoto accedit huic
actui præcepti et obedientiæ. Sic Iacob Gen: 28: 21:

~~170~~
326
(503:

uouit quod dominum esset illi in deum, hoc est,
quod deum perpetuo haberet et coleret ut sum-
mum suum omniumque dominum, ad quod
tamen ex pręcepto tenebatur. Dices: bonum est
spontanê oblatio. Respondeo, id uerum est re-
spectu actus uouentis; hic enim spontaneus esse
debet, uouere enim cuique est spontaneum et
liberum nulli pręceptum; falsum tamen id est
respectu rei uotę; hęc enim sępe non est sponta-
nea sed necessaria et pręcepta. Quod ergo deus
hic noluerit Iudęos uouere primogenita sibi ex
pręcepto debita, et immolanda, peculiaris fuit sanctio:
cuius ratio erat, quia illa iam per Dei legem
Deo erant deuota, et consecrata omnino: unde
noluit ea deus uoueri, ne uotum aliquid deroga-
ret priori consecrationi, quasi illa non fuis-
set plena et perfecta, ita ut uoto perfici et
firmari posset. Conti.

65:13. Reddam tibi uota mea| Psal: 75: Vouere, et reddere| sed quia uotum debet esse discretum bene seq.| que distinxe-runt labia mea.| Id est, distincte, et discrete pro-miserunt.| 14| Et| que| Locutum est os meum in tribulatione mea. q. d. Illa uota reddam que feci, dum eram in tribulatione. In articulo enim ne-cessitatis solent homines multa uouere. Sed multi, ita uouentes in aduersitate, nolunt reddere in prosperitate. Cum enim sunt infirmi, multotiens uo-uent, quod abstinebunt à peccato, uel quod resigna-bunt prebendas, aut beneficia, aut quod intrabunt Religionem: sed cum euaserint nichil faciunt. Vnde narratur exemplum de quodam Baroone, qui habebat uaccam et uitulum: et cum transiret aquam et timeret submergi, uouit S. Michaeli, quod offerret ei uitulum. Postea autem cum adhuc mergi timeret, uouit quod offerret simul uacam et uitulum: Et cum iam pertransisset aquam,

328

dixit S. Michaeli, nec uaccam nec uitulum se daturum. Sic faciunt multi, et irrident non tantum S. Michaelem, sed ipsum Dominum Angelorum. Aug.

Prov: 20: 18. Est qui promittit, et quasi gladio pungitur conscientiae: lingua autem sapientium sanitas est. q. d. Qui temere aliquid promittit aut uouet, cuius postea eum poenitet, uel quia rem illicitam aut indecentem promisit, ut Iephte vouit se immolaturum id quod primò sibi e domo sua occurreret si uictor rediret: occurrit autem primò filia, quocirca uoti eum poenituit, Iud: 11: 35: uel quia promissum aut uotum est difficile et arduum, ideoque illud praestare nequit, aut non uult; is perpetuo animi dolore et conscientiae remorsu quasi gladio compungitur, sibique dicit: Cur me uoto adeo difficili construxi? Cur temere ad rem tam arduam praestandam

me obligaui? Quomodo hoc uoti onus michi
tam durum excutiam? Ita Beda: Promittunt,
inquit, nonnulli diuine obedire uoluntati: sed
ubi temptatio terrens siue blandiens impedi-
mentum pretenderit, deserunt quidem cepta,
sed tamen conscientia promissi quasi gladio
punguntur. Huc pertinent uota et iuramen-
ta iratorum, ut cum parentes irati uouent
uel iurant se filium petulantem uerberaturos,
mutilaturos, exheredaturos, cuius postea eos
peniteat, cum ira deferbuit. At lingua sapien-
tum, que nichil nisi bene consideratum et
premeditatum promittit et uouet, sanat omnes
dolores animique egritudines, que ex promis-
sione et uoto oriri possunt. Hasce enim omnes
sapiens ante promissionem preuidit, et ani-
mo preconcepit, ac pariter de remedio singulis

asserendo easque perscrutando prospexit. De hoc Eccles: 5: Ne temere quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo; Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis et stulta promissio; sed quodcumque voveris redde: multoque melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere. Huc facit illud dixit Pythagorei; Age magna, non magna pollicens / insipientes enim magna pollicentur, sed parva praestant. Corn:

Tevrium Susceptum.

Tertium Præceptum.

Deut: 5: 12: Observa diem Sabbati ut sanctifices eum. Præceptū hoc quatenus diem et tempus aliquod Dei cultui publico et externo dandum præcipit morale est, et naturale: hoc enim faciendum dictat lex naturæ; quatenus vero diem septimum, sive sabbatum ad hoc determinat, eoque quiescere iubet ceremoniale est ideoque in lege noua iam abolitum. Ita D. Thomas. Sabbatum, id est, quies Domini quo scilicet Deus ab opere creationis cessauit die septimo mundi, sacramentum fuit et causa legalis et ceremonialis huius sabbati. Hoc festum rursum allegorice typus erat sabbati, id est, quietis, qua Christus quieuit in sepulchro eodem die. Tropologice vero typus erat sabbati nostri, quo à peccatis cessare debemus. De mutatione sabbati quo creatus est mundus à Deo, in Dominicum, quo recreatus est mundus à Christo resurgente, deque cultu Dominicæ à Christianis debito, uide S. Thoman in Opusc: 5: ubi inter cætera docet, quod

fideles

fideles in feriis tum ab otio, tum ab opere servili abstinere debeant. Fideles ergo in feriis occupari debent, 1.mo in sacrificiis tum interni, ut sunt devotio, oratio, gratiarum actio, compunctio, actus fidei, spei et charitatis; tum externis. Secundo, in lectione spirituali. Tertio, in carnis et concupiscentiarum mortificatione, ut exhibeant corpora sua hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, ut ait Apostolus Roman: 12: 1: Quarto, in actibus misericordiae. Quinto, in legendo et audiendo verbum Dei, aliaque pia. Hinc in Concilio Carthag: 4: cap: 88: excomunicantur, qui die solemni, Ecclesiae conventu postermisso, vadunt ad spectacula. Peccant ergo fideles, qui audita Missa otio vacantes totam diem in chartis, vel aleis, aut in choreis inhonestis, ebrietatibus, commessationibus, aliisque peccatis et vanitatibus transigunt, quod in Concil: Tolet: 3. c. 22. graviter prohibetur. Coun: Duplex fuit ratio institutionis Sabbati. Principalis fuit ad significandum quietem mentis in praesenti, et quietem

aeternitatis in futuro, et quoad hoc fuit ceremonialis. Secunda ratio fuit, ut Iudaei expediti ab exterioribus operibus, liberius vacarent interioribus et quoad hoc fuit moralis. Hoc propter secundam rationem ponitur inter moralia, et quoad hoc manet in Dominica. Hugo.

Iuigando Festa Ang: 155.

Festa sanctificantur cessando ab opere servili audiendo Missam, Deum orando, ieiunando aliaque Ecclesiae praecepta ad hoc tertium debita observando.

Peccatur contra hoc

Primo, faciendo, vel fieri mandando in die festo opera servilia per duas vel tres horas, vel ultra, subditos semel, aut saepius ad ea adigendo. Festorum vigilias, seu ieiunia violando.

2: Missam, vel notabilem eius partem negligendo sub ea dormiendo aut culpabiliter se distrahendo etiam sola cogitatione garriendo, literas vel novellas legiendo, oculis circumvagando, Concionem ex mera negligentia omittendo.

3:

336

381

3: Dies festos in Popinis consumendo, in iis nugando cum scandalo vocifevando, præsertim sub divino Officio.

4: Horas Canonicas (supposita obligatione) quotidie non recitando, sed totaliter vel notabiliter partem omittendo, aut indevote, sine ~~intent~~ attentione eas orando.

5: Tempore ab Ecclesia vetito nuptias celebrando.

6: Annuam Confessionem et Paschalem Comunionem omittendo. vel faciendo eam sacrilege, nimirum cum peccato mortali, sine affectu eius.

7: Locum sacrum, v.g. Templum, aut Cemeterium violando, aut polluendo, vetita ibi exercendo, furando, rapiendo, vel privata aut indebita authoritate extrahendo eum, qui ad Ecclesiæ asylum, seu immunitatem confugit. Quigandr.

Quigandr. Tract: 10. Exam: 5. Quæst: 10.

Quid est Festum, cur et a quo institutum, quando incipit, quodnam de eo præceptum tum ad agendum, tum ad omittendum?

Resp: 1. Festum significat diem institutum ad vacandum Deo per opera Religionis, et abstinendum ab opere servili. Talia festa sunt Christi, B. Virginis, Apostolorumq; Inter hæc

numerantur dies Dominica, dicta à Domino Salvatore;
sicut alia festa, ita et dies Dominica, quoad determina-
tionem temporis est instituta ab Ecclesia, ac successit Sab-
batho, quod sanctificabatur à Judæis, tanquam dies septimus.
Resp: 2. Ecclesia potuit mutare diem Sabbathi in Domi-
nicam. Declaratur ex S. Thoma dicente, quod præceptum
de sanctificatione Sabbathi est partim morale, partim
cæremoniale: morale quidem quantum ad hoc, quod homo
deputet aliquod tempus vitæ suæ ad vacandum divinis;
inest enim homini naturalis inclinatio ad hoc, quod cui-
libet rei necessariæ deputetur aliquod tempus sicut corpo-
rali refectioni, somno, et aliis huiusmodi. Unde etiam spi-
rituali refectioni, qua mens hominis in Deo reficitur,
secundum dictamen naturalis rationis aliquod tempus
deputat homo, et iuxta hoc S. D. ait: Præceptum de sancti-
ficatione Sabbathi esse morale, et poni inter præcepta De-
calogi, nec sic potest mutari; sed inquantum in hoc præ-
cepto determinatur speciale tempus in signum creationis
mundi, est cæremoniale, et figurativum, et sic potuit mutari
quoad diem taxatam. Pro quo

Resp: 3:

338

273.

Resp: 3: Ecclesia iure instituit diem Dominicam loco Sabbathi. Ratio: Quia in die Dominica multa praeclara fuerunt gesta, nimirum Mundus creatus, Christus elevica morte in eo surrexit, Apostoli praedicandi et baptizandi potestatem acceperunt, Spiritus S. datus q.

Resp: 4: Festum diversimode incipit respectu actuum humanorum. Quoad ieiunium incipit à media nocte praecedentis vigiliae. Quoad Officium Ecclesiae incipit à primis Vesperis. Quoad cessationem ab opere servili incipit ab Occasu Solis/ ubi tamen consuetudo loci est attendenda/ et terminatur in vespera seq. Communiter tamen dicitur, quod ab una ad alteram mediam noctem. Tandem quoad obligationem ~~[illegible]~~ auditionis Missae ab ortu Solis.

Resp: 5. Praeceptum de celebratione Festi est affirmativum, quo praescribuntur opera in eo facienda, ut Missa, Concio audienda, Vesperae frequentandae; et est negativum, quo praescribuntur opera omittenda, nimirum servilia.

Quaenam opera in Festo ex praecepto sunt facienda?

Resp: 1. In die festo audire Concionem, et Vesperas est quidem de consilio, et valde proficuum, ac Deo gratum, non tamen

est de

est de praecepto, sed ad auditionem Missae est obligatio sub mortali. Nam, ut habet praeceptum Ecclesiae: Sacrum Missae Sacrificium diebus Festis reverenter (id est cum debita attentione et devotione) audire, interveniendo non solum corpore, etiam exterius modeste composito, sed et devoto animo, alias non satisfacit praecepto ut habet probabilior sententia.

Resp: 2. Ut satisfiat praecepto de audienda Missa, non est necesse, ut quis celebrantem videat, vel audiat, sed sufficit, si ita moraliter praesens sit, ut ex quibusdam signis colligat, quid Sacerdos celebrans agat: ut patet tum in magno confluxu populi, tum in caecis, vel surdis, vel dum Sacerdos valde submisse legit. Hinc Donatus noster bene sentit, quod etiam is, qui e fenestra vicinae domus suae videt, et audit vocem Sacerdotis altari ministrantis, absque ullo dubio debeat dici praesens, vicinus et unus de circumstantibus ad Missam. Hoc tamen communiter non debet practicari.

Resp: 3. Integra Missa debet audiri, saltem usque ad Sacerdotis benedictionem: Qui sine iusta causa omittit partem exiguam, peccat venialiter, qui notabilem mortaliter. Quae sit notabilis pars, facile definiri non potest. Sunt, qui excusant a mortali eum, qui circa Offertorium ad Missam accedit,

et manet usque ad benedictionem sacerdotis, eo quod at:
tente saltem principalia, quę in Missa sunt, audiat: cui
sententię non subscribo. Communior et verior sententia est,
non esse notabilem partem, adeoque mortaliter non peccari,
si quis à principio Missę adsit usque ad communionem sacer:
dotis inclusivè: vel à principio Epistolę, usque ad benedictionem.
Alii dicunt, tertiam partem Missę vel circiter esse partem
notabilem. Quę verò tertia pars sit, non definitur, proinde
in hoc prudenti iudicio opus est.

Resp: 4: Qui à duobus sacerdotibus non simul, sed successivè audit me:
dietatem Missę, u.g. veniens ad unam partem immediatè post
consecrationem et ea finita eo usque statim audit alteram, non
peccat mortaliter, venialiter tamen delinquit si ex negligentia fiat.
Ratio: Quia audit integram Missam, licet inverso ordine. Ergo
pręceptum implet, etsi in modo et perfectione deficiat. Nota
inter Propositiones damnatas ab Innocentio XI. est n°. 53.
Satisfacit pręcepto Ecclesię de audiendo sacro, qui duas eius partes
immò quatuor simul à diversis celebrantibus audit.

Sub Missa fabulari, peccatum est, veniale, si per modicum: mortale, si
per notabilem, nimirum tertiam vel circiter Missę partem fiat;
cui sępe annectitur grave scandalum aliorum pręsentium. Idem

est

est de distractione voluntaria mentis. Ceterum pauca verba ex necessitate, vel civilitate (ne quis morosus videatur) proferre, et non plura, ac necessitas vel civilitas requirit, cum minimum honestum sit, culpa vacare potest.

Resp: 6: sub Sacro obligatorio se occupare in lectione alicuius libri, si fiat per modum orationis, et devotae occupationis, peccatum non est: si per modum studii aut profanae recreationis animi, est peccatum mortale. Ratio: Quia attentio requisita consistit in devota mentis occupatione, puta in recitatione, Sacramenti adoratione, rerum divinarum sub Sacro consideratione, spirituali communione, et simul actu, quo Deus honoratur.

Excusat ab auditione Missae impotentia spiritualis, ut si quis subiaceat interdicto vel excommunicationi, et per ipsum non stet, quominus absolvatur. Item excusat impotentia corporalis. Et haec est duplex, una simpliciter talis, ac physica, quae est in incarceratis, lecto affixis, mari navigantibus: altera moralis, ut si Missam audire non possit, nisi cum magna difficultate, vel iactura bonorum animi, corporis, fortunae. Pro quo

Nota. Impotentia moralis excusat. Primo eos qui sine periculo spiritualis ruinae suae, vel qui sine pudore, et infamia non possunt domo

exire

exire, ut, honesta mulier carens honesto habitu; vel praegnans
ex occulta fornicatione: quia Ecclesia non videtur obligare cum
tanta confusione. 2. Infirmos quibus Medicus suasit, ut domi
maneant, et servientes infirmis, qui soli non sunt relinquendi,
Et eos, qui se continent domi ob probabile periculum perit. 3.
Matres et famulas quę debent assistere infantibus. 4. Eos, qui pro-
cul distant ab Ecclesia, praesertim quando aura non favet, ubi
tamen bene perpendendę sunt conditiones personarum, vię, temporis,
consuetudinis etc. 5. Ad cavenda damna custodientes pecora,
ędesq qui tamen sunt monendi, ut alternent seu vadant per vices.
6. Itinerantes, Missam audiendo itinerandi (v.g. navigandi)
occasionem vel socium sibi valde utilem amissuri: qui tamen, si possint,
tenentur praevenire, nisi bona fide supponant se in via habituros Missam.
7. Eos, qui à Missa impediuntur officiis vel gravis negotii causa, ut Mi-
lites Stationarii Excubitoresq. 8. Mulieres, pueros, famulos, quos ma-
riti, parentes, domini, nolunt permittere ire ad Ecclesiam, dummodo
non fiat consuetudo, nec in contemptum Religionis. Quod si famulus
frequenter à Domino impediatur, tenetur eum relinquere prima op-
portunitate. 9. Idem est de Opificibus, quos Magistri, v.g. Sartores, Sutor-
esq in vigiliis, et Sabbathis, aut festis frequenter laborare cogunt

sine

sive iusta causa. 10. viduas maritum lugentes ad aliquod tempus,
ubi est consuetudo, ut domo non exeant. 11. Puerperas tempore purificationis.

A quibus operibus ex præcepto abstinendum est in die Festo?

Resp: 1. Ab operibus servilibus; Opus autem servile est triplex,
quod S. D. explicat dicens: Unum est quo homo servit peccato,
secundum illud: Qui facit peccatum, servus est peccati. Et secun=
dum hoc omne opus peccati dicitur servile. Alia servitus est,
qua homo servit homini. Est autem homo alterius servus, non
secundum mentem sed secundum corpus. Et ideo opera servilia
secundum hoc dicuntur opera corporalia, in quibus unus homo alteri
servit. Tertia autem est servitus Dei, et secundum hoc opus ser=
vile posset dici opus latriæ, quod pertinet ad Dei servitium.
Si autem sic intelligatur opus servile, non prohibetur in die
Sabbathi, quia hoc esset contrarium fini observationis Sabbathi.
Similiter nullius spiritualis actus exercitium est contra obser=
vantiam Sabbathi, puta, si quis doceat verbo vel scripto.
Opera corporalia ad spiritualem Dei cultum non pertinentia intan=
tum servilia dicuntur, inquantum propriè pertinent ad servien=
tes: inquantum verò sunt communia et servis, et liberis, servi=
lia non dicuntur. Quilibet autem tam servus, quam liber tenetur

in

ira 3444
n. 89.

in necessariis providere tam sibi, quam proximo praecipue quidem in his, quae ad salutem corporis pertinent: secundario autem etiam in damno rerum vitando. Et ideò opus corporale pertinens ad conservandam salutem proprii corporis non violat Sabbathum. Similiter opus corporale quod ordinatur ad salutem corporalem alterius non est contra observantiam Sabbathi. Unde dicitur Ioan: 7. Michi indignamini, quia totum hominem salvum feci in Sabbatho. Similiter etiam opus corporale, quod ordinatur ad iminens damnum rei exterioris vitandum, non violat Sabbathum. Unde dicit Dominus Matth: 12. Quis ex vobis homo qui habet unam ovem, et si ciciderit Sabbatho in foveam, nonne tenebit, et levabit eam? Haec S. D. Ex quibus resolvuntur multi casus. Notat idem S. D. quod non sit ita

// stricta prohibitio operandi in die Dominica, sicut fuit in die Sabbathi, sed quaedam opera conceduntur in die Dominica, quae in die Sabbathi prohibebantur, sicut decoctio ciborum, et alia huiusmodi.

Opus servile est, quod exercetur mediante corpore, et proprie spectat ad servientes. Unde servilia non sunt, adeoque licita in Festo, libros describere etiam sacri causa, modicum pingendo delineare, vel efformare acu simeum, discendi causa; itinerari, contractus

facere

De Sanctificatione Festorum.

facere, ad scopum iaculari, modeste sine strepitu, et clamore circa vesperam, seu tempore Diuini Officii elapso per aucupium venari, modeste v. g. hamo piscari. Quia hæc omnia cum his clausulis fiunt potius per servos, quam per dominos. Et supponunt deesse scandalum, et Missam non negligi. Si vero in actione pingendi, venatione, piscatione quis dictos limites transgre=diatur, servilia seu servis propria, et consequenter in die Festo graviter prohibita censentur. Nec debet pictio quoad hoc scriptioni comparari, licet etiam physicè quodammodo conveniant, cum prior in ducendis lineis, altera in ducendis figuris consistat, et utraque quandam animi voluptatem afferat, quod videtur spectare ad artes liberales, aut morales, et prudenti iudicio plurimum differunt, si pictio multum protrahatur.

Resp. 1. In die Festo laborare minori tempore quam una hora, est peccatum veniale propter parvitatem materiæ. Labora=re per duas horas certò est mortale. Laborare una longa hora eodem die Festo, vel diversis interruptis vicibus notabile tempus ob moralem continuationem constituentibus, esse mortale probabilius est.

Quæres: Quæ sunt legitimæ causæ excusantes à celebratione Festorum,

seu ob

ob quas laborare licet in illis?

Resp: Variæ sunt, sed ferme omnes reducuntur ad necessitatem labo-
randi, sive publicam, sive privatam, ad evitandum notabile damnu
sive in proprio, sive in proximi corpore, aut bonis, iuxta receptam
Theologorum maximam, præcepta Ecclesiæ, utpote leges huma-
nas, non obligare cum gravi damno, adeoque præsumi posse,
non esse Ecclesiæ intentionem obligandi cum tanto rigore, quia
iugum Domini suave est. Hinc

Primo excusantur à feriatione Chirurgi pro necessaria apertione
venæ, apothecarii, pistores, molitores præsertim à ventis, et
à fluxu aquæ pendentes, fabri ferrarii ad ferrandos equos
itinerantium, sartores propter publicam necessitatem, inquantu
labor ille requiritur, et non ultra. Barbitonsores, si unam
alteramve barbam radant, moraliter non peccant, secus si multas,
nisi excuset loci consuetudo scientibus, et non contradicenti-
bus Ecclesiæ Rectori, seu locorum Episcopis introducta, ac certis
regulis prudenter limitata, ut nimirum ille labor non fiat cum
scandalo nec in publicis, aut apertis officinis, nec sub officio di-
vino, sed quasi clam.

Secundo: Qui vacant operibus vitæ necessariis, ut qui cibos coquunt,

Signa

ligna scindunt, aquam vel ligna pro culina asportant, sed pre=
cise quantum pro illo die opus est. Qui deficiente pane vespe=
re preparant farinam ad pinsandum sequenti die non festo.
Cavendum tamen ne tales labores studiose reserventur in diem
festum, quia hoc cederet in fraudem legis.

Tertio: Pauperes operarii, qui ob necessitatem corporalem non possunt
cessare à labore, sine quo familiam sustentare nequeant, modo
desit scandalum, et audiant sacrum.

Quarto: Qui feriando paterentur notabile damnum in suis bonis.
Sic Rustici in die festo propter probabile periculum tempes=
tatis post Divinum officium colligunt fenum et fruges, saltem
cum licentia Parochi. Item extenduntur linteamina lota, ne
destruantur. Pauperes ancillæ reficiunt sua vestimenta, dum
aliis diebus id eis à dominis non permittitur.

Quinto: Cantores laborantes pro exequiis, vel nuptiis celebrandis,
quæ non possunt differri. Mulieres, pueri, famuli, artifices,
quando à suis maritis, parentibus, dominis, aliisve authoritate
præditis (quorum displicentia eis esset gravitèr nociva) serere
ad laborandum urgentur.

Sexto: Vendentes in die festo necessaria vitæ, v.g. carnem, pullos,
ova, butyrum, fructus, et similia ad urbes portantes, v.g.

ova,
Rustici

uerici, ne aliis diebus suum laborem proreumittant.

Festum ligatne extra territorium, et itinerantes?

Resp: Non peccat, qui seclusu scandalo pridie Festi laborandi causa e sua Parochia in qua festum est, vadit ad alium locum, in quo non est festum. Ille pauper operarius ipso festo egressurus ut supra teneretur prius audire Sacrum, si commode possit, e [illegible]

Gen: 2: 3: Et benedixit diei septimo et sanctificauit illum. Id est actu festum instituit, colique uoluit ab Adamo, eiusque posteris sacro otio, et cultu Dei, maxime recolendo beneficium creationis sue, totiusque mundi, illo die complete. Vnde patet Sabbathum fuisse festum institutum et sancitum primitus non à Moyse Exod. 20: sed longe anterius, puta ab origine mundi, hoc ipso primo mundi sabbatho. Fuit ergo hoc preceptum sabbathi non naturale sed positiuum: unde à Christo et Apostolis festum à Sabbatho in Dominicam est translatum. Id est, sibi consecrauit, id est creatori operum exercitio deputans, illud suo cultui mancipauit. Aug:

Leuit: 25: 20: Quod si dixeritis: Quid comedemus anno septimo si non seuerimus, neque collegerimus fruges nostras? [21] dabo benedictionem meam uobis anno sexto, et faciet fructum trium annorum. Hinc patet, fertilitatem terre sancte ex parte non fuisse naturalem, sed diuinam, atque ex dono Dei, qua priuari fuere Iudei tempore Machabeorum.

Deus

Deus enim hic promittit Iudaeis, si servent legem praeceptum de quiete servanda anno septimo, se eis daturum anno sexto fruges pro tribus annis. Audiant hoc Christiani, discantque sua lucra non quaerere violando festa per labores venditionesque. Si enim Deus Iudaeis promittit hic, servantibus quietem toto anno sabbathico, annonam in tres annos; multo magis Christianis servantibus quietem paucorum festorum, providebit de victu et lucris. Corn:

Num: 15: 32: Factum est autem, cum essent filii Israel in solitudine et invenissent hominem colligentem ligna in die Sabbathi; (33) obtulerunt eum Moysi, et Aaron, et universae multitudini (34) Qui recluserunt eum in carcerem, nescientes quid super eo facere deberent. (35) Dixitque Dominus ad Moysen: Morte moriatur homo iste

Vide hic, quam rigide et severe praecepta et festa sua servari mandet Deus. Gregor: Turon: narrat mulieri cuidam Dominica pinsenti panem, manum prorsus divino igne fuisse succensam. Rodericus Toletanus narrat Ioannem Castellae Regem victoriosum, cum Dominica die ante prandium equitationi vacaret ab equo cespitante deiectum et obtritum occubuisse, ut discamus diem festum dare Deo, non venationibus aut vanis ludis. Eucherius in vita S. Mauritii scribit aurifabrum quendam gentilem quod Dominica die domi laboraret, a Thebeis Mauritiibus verberatum fuisse, eoque terrore Christianum effectum esse. Corn:

Deut: 1: 3: Undecimo mense, prima die mensis, locutus est Moyses ad filios Israel

omnia

350

2.5.5:

omnia quę præceperat illi Dominus, ut diceret eis. Deuteronomium ergo promulgauit Moses primo die Mensis Sebet, qui nostro Ianuario respondet. Primus enim Hebræorum mensis erat Nisan, para Martius, ac consequenter undecimus erat Ianuarius, duodecimus Februarius. Sic Christus prima die Ianuarii, circumcisione sua, Nomineque Sanctissimo Iesu legem nouam condere, eamque suo sanguine sancire cæpit, ut merito hoc noui anni, et uitę Christianis sit exordium, quod hic prætendit et præfigurauit Moses, dum eodem mense et die promulgauit librum legis. Conn.

2. Esdr: 8: 9: Dies sanctificatus est Domino Deo nostro: nolite lugere, nolite flere. quia licet iure lugeatur, et fleatur, tamen hoc die festo Neomenię, quo recolimus beneficia Dei tum antiqua, tum noua et continua in nos collata, gaudendum est, non lugendum. 10. Ite comedite pinguia et bibite mulsum. Sic Christiana lex uetat ieiunium in Dominica ob festi letitiam. Ita S. Thomas 2. 2. q. 147. art. 5. ad 3. Conn.

Ecclesiasticus 14: 14: Non defrauderis à die bono, et particula boni diei non te prætereat. Mystice q. d. Die festo cum datur tibi facultas uacandi Deo, orandi, meditandi, communicandi, legendi pia et uitas Sanctorum, ea utere, pasce mentem cum Magdalena epulis hisce diuinis. Maria enim optimam partem elegit quę non auferetur ab ea. Ita Lyran. Conn.

Ierem: 17: 21: Custodite vias vestras et nolite portare pondera in die sabbati, id est, peccata. Aug: Per sabbati custodiam, omnem legis observationem intelligit. Qui enim sabbatum custodiebat, hoc ipso tacite profitebatur, Deum esse conditorem et gubernatorem cœli et terræ: in huius enim rei et beneficii memoriam, sabbatum erat institutum: qui verò contemnebat sabbatum videbatur inficiari Deum esse conditorem mundi. Sic si quis hodie diem Dominicam celebrare recusaret, videretur negare Christum resurrexisse in cuius memoriam dies ille constitutus est. Nota hunc locum pro cultu Sabbati apud Iudæos, et diei Dominicæ apud Christianos. Vide quam stricte præcipiat hic Deus Iudæis, ut sabbato non portent onera. Pun:

Baruch 1: 14: Et legite librum istum quem misimus ad vos recitari, id est, ad recitandum, in templo Domini in die solemni, &c. Argumentum est hic, quod studere possumus in diebus festiuis, verum est in lege Diuina, et cum pro Deo addiscimus, et utilitate

Salute animarum

352

52

animarum non pro lucro temporali, favore populorum et huiusmodi. Aug.

Ezech. 20. 12. Insuper et sabbata mea dedi eis, ut essent signum inter me et eos: Id est, solemnitates et dies festos: commiter enim sumitur sabbata: ut essent in signum subiectionis, scilicet homagii, ut quando aliquis pro terra quam tenet reddit annis singulis aliquem decimam censum in signum homagii, sic erant illę obseruationes, et festiuitates legales. Vel, sicut dicit Hieron. In signum data sunt sabbata inter eum qui dedit, et eos, quibus data sunt, scriptura dicente Exod. 31. videte ut sabbatum meum custodiatis, quia signum est inter me et vos. ~~Hieron.~~ ~~vidēre~~ Ergo sabbatum et circumcisio data sunt in signum veri sabbati, et verę circumcisionis. Secundum hoc ergo quod dicit Text. et Gloss. etiam videtur quod pręceptum de sabbato fuit pręceptum cęremoniale, quia signum. Et hoc aliqui concedunt. Alii dicunt quod cęremoniale est quoad taxationem diei, sed morale quoad obseruationem. Sed magis probabile

est.

Est, quod omnino cessat, nec dies Dominica ipsi
sabbato successit, sed ex institutione Ecclesię obser-
uatur. Quod patet quia aliquando dispensat Eccle-
sia pro aliqua causa, ut operentur homines in ea
pro utilitate Ecclesię, quod non faceret si successisset
sabbato. Aug.

Marth: 12: 8: Dominus enim est Filius hominis etiam sabbati. Quia
obseruantiam illam poterat mutare, sicut patet quod
in Nouo Testamento auctoritate eius mutata est. Gyo:
Cum Dominus sit, potest mutare quod instituit. Aug:

10: Et ecce homo manum habens aridam et interroga-
bant eum, dicentes: si licet sabbatis curare ut
accusarent eum / 11 / Ipse autem dixit illis: Quis erit
ex uobis homo, qui habeat ouem unam et si ceciderit
hęc sabbatis in foueam, nonne tenebit et saluabit eam? /
12 / Quanto magis melior est homo oue? itaque
licet sabbatis curare. Christus interrogauit Scribas
aliam questionem, quę interrogationem eorum sol-
ueret, scilicet, an liceret sabbato benefacere, et ma-
num aridam curare; an malefacere id est, non

curare et nocere, tacite significans misero non bene=
facere cum possis, esse illi malefacere; et anima
sive vitam non servare cum possis, esse illam per=
dere; ac proinde, cum hoc lege naturę permissum,
imò iussum sit, non esse vetitum lege positiua
Sabbati: hoc enim esset irrationale, si lex positiua
vetaret beneficentiam in Sabbato iure naturę
permissam, aut præciperet maleficentiam et noxam
iure naturę vetitam. q. d. Vos Scribę docetis non
violari Sabbatum si quis ouem lapsam in foueam
Sabbato apprehendat et extrahat ne ouicula tota
illa die cogatur in fossa manere, esurire et in=
comode habere. Ergo multo magis licet Sabbato
hominem ęgrum et afflictum ęgritudine sua le=
uare. Ita sentiebant Scribę tempore Christi et iam
nonnulli Iudęi ita superstitiose quietem in Sabbato
observant, ut eo die nec hominem in cloacam aut
sentinam lapsum extrahere velint, nec lapsi ipsi se
extrahi permittant. Lepidum est quod narrat Vol=
teranus lib: 8: Geograph: sub finem. Tempore Henrici 8:

Regis

Regis Angliæ, inquit, qui regnare cœpit anno Domini 1208: Judæus quidam Teukesburgi in Anglia in cloacam lapsus Sabbato ob diei religionem extrahi noluit. Id videns Comes loci Christianus, nec in sequenti die eum extrahi permisit ob Dominicæ reverentiam: quare ille antequam extraheretur, extinctus et suffocatus est. Dicebat enim.

Sabbata sancta colo, de stercore surgere nolo

Cui vicissim Comes:

Sabbata nostra /Christiana puta Dominicam/ quidem

Salomon celebrabis ibidem: Bzov.

Ex Concilio Romano
celebrato in Sacrosancta Basilica Lateranensi
Anno 1725: à S. S. Patre et Domino Nostro
Benedicto Papa XIII.

Titulus XI.
De Feriis et Festorum dierum observantia.

Caput I.

Festorum dierum observantia inculcatur.

Modus proprius illos sanctificandi ostenditur.

Ex quo Catholica nostra Ecclesia veteris novique Testamenti oraculis instituta, dies Dominicos, aliosque

alios per annum integro totius temporis Creatori
ac Domino consecravit, illos suis fidelibus ad quietem
nedum e divinis laboribus capescendam sed et
praecipue ad maiorem in iis Deo cultum praestan-
dum, religiosè semper observari mandavit,
omnique adhuc mandat devotione custodiri,
ac religione sanctificari. Districte itaque omnibus,
qui Christiana professione signantur est ab ipsa
Ecclesia praeceptum et Missam diebus omnibus
Dominicis, ac Festis audire et simul à quocumque
eos labore, et servili opere abstinere. Cum autem
Toletani Concilii tertii decreto (Can: 23) gravi-
ter eos peccare definiatur qui festis diebus,
audita tantummodo Missa, otio se dedentes totum
diem in aleis et choreis inhonestis, in ebrietatibus,
et comessationibus, aliisque peccatis et vanitatibus
transigunt; ne propterea de ipsis apud Deum
dicatur, tempus faciendi, Domine, dissipaverunt
legem tuam Psal. 118: illos ex animo monemus,
ut diebus omnibus Deo consecratis Deo ipsi ac
spiritualibus vacare studeant: Ecclesias religiosius

frequentent: Sacramentis se mundent, comunicentq;
Concionibus, Diuinisque officiis intersint; ac fer-
ventius se in operibus pietatis exerceant.

Caput 21.

Seruile opus quomodo Festis diebus
permittendum, pietate id sua-
dente, vel exigente necessitate.

Super iis autem que in eorumdem Festorum occursu
vel pietas suaserit vel humana exegerit neces-
sitas, universis Christi fidelibus volumus, iuxta
S. Canones (Cap: Licet de feriis) consueta mise-
ricordia subuenire. Unde et Messis et Vinde-
miarum tempore, aliaque consimili urgente
occasione, cui tunc aliter omnino provideri non
possit, liceat, cum ita Episcopi in ipsorum li-
centia gratis concedenda, conuenire iudica-
uerint, seruile opus aggredi, Missa saltem prius
audita. Qui uero licentiam obtinuerint, adhor-
tatione moneantur, quatenus ex eo, quod illis
utilitatis obuenerit, Ecclesiis circumpositis et

ab 358

c 6 b:

Dei pauperibus aliquam in alterius uelut cultum
veperium, faciant portionem.

Exod: 31: 13: Videte ut sabbatum meum custodiatis: quia signum est inter
me et uos. Argumentum quod praeceptum de sabbato
est caeremoniale. Aug: 17 Qui fecerit in eo opus,
peribit anima (id est uita) illius de medio populi sui.
q. d. Qui laborando uiolat quietem Sabbati, morte
plectatur per sententiam iudicis, si crimen, puta sab-
bati uiolatio constet: si non constet, tum homo ille
aliis modis uindicante Deo, siue per homines quasi
fortuito sed fortuitum hoc dirigente Deo, siue
per alias creaturas Dei administras morte punietur,
et quod maximum est, peribit in aeternum in gehen-
na tamquam reus maximi criminis. Cont.

Leuit: 23: 2: Hae sunt feriae Domini quas uocabitis sanctas (Hae sunt
festa, quibus uacandum est ab omni opere seruili, et
insistendum cultui diuino. Hinc Ecclesia omnes dies
uocat ferias, quia Christiano omni die a uitiis fe-
riandum et cessandum est; Item, quia quantum ad

officia

officia Ecclesiastica et Ecclesiæ ministros, omnes dies feriæ, id est festa, sunt: illis enim non aliud rei quam diuino cultui uacandum est. Quam ergo à scopo festorum aberrant Christiani, qui Gentilium more in festis à labore feriantur, et luxui uacant. S. Nazianz: Feriari, inquit, nostrum, non est aliud quam, ~~[illegible]~~ animæ aliquid eorum aggerere, quæ firma et stabilia sunt. Et S. Hieron: Nobis, ait, sollicitius prouidendum est, ut solemnem diem non tantum ciborum abundantia, quam spiritus exultatione celebremus. Ethnici festa colunt uentre, ut dixit quidam Ethnicus rogatus; Quid est festum? Est, inquit, gulæ irritamentum, et luxuriæ occasio. Christiani mente, colentes Deum in spiritu et ueritate. Cont.

Levit. 25: 20: Quod si dixeritis, Quid comedemus anno septimo si non seminauerimus, neque collegerimus fruges nostras? Dabo benedictionem meam uobis anno sexto, et faciet fructum trium annorumque. Audiam

268

360

265:

(Demones)

Psal: 73: 4: Et gloriati sunt qui oderunt te in medio solemni:
tatis tuę. Quia in diebus solennibus plura fiunt
peccata. Thren: 1: Viderunt eam hostes et deriser:
runt sabbata eius. 1. Machab: 1: Dies festi eius
conuersi sunt in luctum, Sabbata eius in opprobrium.
Propterea hoc dicit Dominus, Amos 5: Odi, et
proieci solennitates uestras. Isai: 1 Calendas uestras,
et solennitates uestras odiuit anima mea & Hug:
8: Dixerunt (demones) in corde suo, cognatio eorum simul:
id est, uitia quę habent inuicem cognationem)
Quiescere faciamus omnes dies festos Dei à terra.
Hęc festa auferunt demones et uitia: Ad litera
etiam cessare faciunt omnes dies festos Dei à ter:
ra, quia non custodiunt festa: Sed ferè omnes uadunt
uel ad operationem, uel ad negotiationem uel ad ta:
bernam, uel ad prostibulum, et ad Ecclesiam non curant
ire, nec facere id pro quo festa sunt instituta,
scilicet uacare Deo, et sibi. Hug:

364
280

130

362

p. 67;

De Veneratione
Templorum, et rerum Sacrarum.

BIBLIOTHECA SEMINARII CONCORDIENSIS

364

f. 69:



Ex. 25: 8. Facientque michi sanctuarium, et habitabo in medio eorum: /9/ iuxta omnem similitudinem tabernaculi quod ostendam tibi, et omnium vasorum et cultum eius: Hinc et ex u. ult. patet Deum Moysi in monte Sina ostendisse ideam tabernaculi, ut secundum illum tabernaculum construeret. Disce hic quanta reverentia debeantur templis locisque Deo dicatis. Primo: quod templum sit domus Dei habitantis inter homines, sicut cęlum est domus dei habitantis inter Angelos et beatos. Secundo, quod templum sit domus orationis, ibique orationes exaudiat Deus: Illud enim Salomoni oranti, templumque dedicanti promisit 3. Reg: 8. Tertio, quod in templis reis et sontibus constitutum sit asylum. Sic S. Chrysostomus Eutropium confugientem ad templum a morte tutatus est. Quarto, quia Deus polluti et violati templi acer est vindex. Sic Christus ementes et vendentes columbas flagello eiecit. Math. 21. 12.

366
271

Et Paulus 1. Cor: 3: 17: ait: Si quis templum Dei
violaverit, disperdet illum Deus. Psal: 5: 8: Introibo
in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum
in timore tuo. Isai: 2: 3: Venite ascendamus ad
montem Domini, et ad domum Dei Iacob: et do-
cebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis eius.
Constantinus Magnus et S. Helena tam Romae, quam
Hierosolymis et alibi, plurima magnificentissima
aedificaverunt templa: ipseque Constantinus deposito dia-
demate, et humi iacens, vimque lachrymarum
profundens, accepto ligone terram eruit, indeque
duodecim terrae cophinis in honorem duodecim
Apostolorum ablatis, loco Basilicae Principis Apo-
stolorum designato, Ecclesiam miri operis aedificavit,
quam S. Silvestro dedicavit. Constantinum
hac in re imitati sunt Theodosius, Carolus
Magnus, aliique Christianissimi Imperatores et
Principes. Ergo: Sanctuarium ~~meum~~ (ait Levit:
19: 30:) metuite: Ego Dominus. Cont.

De Veneratione Templorum

Exod. 30. 18. Facies et labrum aeneum cum basi sua ad lavandum, et mittes aquam (ig.) lavabunt in ea Aaron, et filii eius manus suas, ac pedes, (ho) quando ingressuri sunt tabernaculum testimonii, et quando accessuri sunt ad altare. Hinc probabiliter censent Caietanus sacerdotes nudis pedibus in tabernaculo ministrasse, quod bis faciebant in die, scilicet mane et vespere ad iuge sacrificium. Voluit Deus per hoc eosdem admonere internę puritatis, ut meminissent sacerdotes sibi deinceps non humi, sed per aethera incedendum esse ait Philo. Hinc sacerdotes novę Legis in missa lavant manus, quin et omnes Christiani olim ingressuri Ecclesiam, et communicaturi lavabant manus, tum ut puritatis internę admonerentur, tum quia manibus excepturi erant sacram Eucharistiam: eaque de causa pro foribus Ecclesię positum erat vas aquę ad purificationem: cuius loco postea remansit vasculum aquę benedictę positum in ingressu Ecclesię. Nostri autem sacerdotes celebrant calceati, non nudipedes, tum ob caritatem et reverentiam, tum quia sunt milites et duces, quos decet esse calceatos, immo ocreatos Christi paratos semper ad bellum contra daemones, et ad evangelizandum ubique. Bon!

Ecclesiastes 4. 17. Custodi pedem tuum ingrediens domum Dei. q. d. Ingressurus templum custodi pedes, id est, affectus animę, ne quid animo volvas, aut concupiscas Deo indignum, vetitum, ingratum, sed omnes

cogitationes

88 368

223:

cogitationes, et affectus convertere in Deum ad eum puro corde et affectu colendum, inuocandum et amandum. Quamuis, inquit Salonius, templum honeste et cum timore ac silentio debeamus ingredi domum Dei, tamen non pedem corporis docet custodiendum, sed pedem animæ, id est, gressum mentis, ut in conspectu Dei mundas preces effundamus. S. Chrys.

In aulam regiam intraturi et habitu, et oculis et incessu, et in cunctis aliis componis et ornas temetipsum. In templum autem ingressurus ubi vere aula regia est, et talis qualis est in cælis, rides? Tu quidem non vides, audi tamen, quia Angeli præsentes sunt ubique, maximè in domo Dei, ubi astant Regi, et omnia plena sunt incorporeis illis virtutibus. Seneca.

Egregie Aristot. ait, nunquam nos verecundiores esse debere, quam cum de Deo agitur. Si intramus templa compositi si ad sacrificium accessuri vultum submittimus, togam adducimus, in omne modestiæ argumentum fingimur, quanto hoc magis facere debemus, cum de Deorum natura disputamus, ne quid temere, ne quid impudenter aut ignoranter affirmemus, aut scientes mentiamur. Corn.

Et appropinqua ut audias. Docet ad templum eundum magis hoc fine ut audiamus Deum, quam ut audiamur à Deo; imò ut audiamur

à Deo

à Deo, prius debere audire Deum per sanctas inspirationes cordi nostro loquentem: qua ratione enim Deus audiet eum, qui ipsummet loquentem audire renuit? Vis ergo ut te audiat Deus, ita prior audi eum eiusque legi, et iussis obedi: sij enim ad audiendum hic sumitur in actu perfecto, significatque audire ita ut obedias. Audit igitur, qui auditu percipit, et audita custodit opereque exequitur. Corn.

Isai: 56: 7: Laetificabo eos in domo orationis meae | Contra accidiosos qui recitantur in longa mora vel longo sermone. Hug: Significat hic Deus laetitiam et delitias Christianorum fore in domo orationis, id est, Ecclesia in qua colloquuntur cum Deo, ideoque domum suam domum fore orationis asseverat. Moralister vide hic, quae veneratio templis exhibenda sit, quamque ab ea colloquia vana, ambulationes, mercimonia, turpes aspectus et cogitationes, arcenda sint. Vere S. Chrys: Ecclesia ait, non est tonstrina, aut unguentaria taberna aut officina forensis: sed locus Angelorum, locus Archangelorum, regia Dei, Caelum ipsum. Corn.

Amos 5: 23: Aufer à me tumultum carminum tuorum: et cantica

Lyrę tuę non audiam. Septuag. Psalmum organorum tuorum non audiam. Psalmos enim et cantica partim cantabant voce, partim instrumentis musicis, puta lyra, psalterio, organoq; Curabant enim Iudęi, se sua deliria lyrando tegere, sed suaui concentu aures Dei ita mulcere, eumque quasi incantare. Verum errabant: Deus enim canticis cordis, non oris capitur. Videant hic chorales et cantores Christiani, ne in psalmodia ex festinatione versus precipitent, pręmordeant, cum altero choro commisceant et confundant, ne audiant à Deo: Aufer à me tumultum carminum tuorum. Videant pariter, ne totam psallendi deuotionem collocent in voce canora, in subtilitate modulandi, in agilitate tonos modulandi q; dum intra aurium minuriunt, et curiosorum aures titillent ad se rapiant et ab oratione auocent, ne audiant à Deo: Cantica lyrę tuę non audiam; pro quo Arabicus vertit, ne distinctionem (varietatem, flexus et gyros) faciatis mihi in vocibus laudum vestrarum. Hypocrita discant illud Apostoli: Psallam spiritu, psallam et mente. S. Aug.: Commoueor non cantu, sed rebus quę cantantur,

cum limpida voce et convenientissima modula-
tione cantatur, magnam instituti huius utilita-
tem cognosco, ut per oblectamenta aurium, infir-
mior animus in affectum pietatis assurgat. Tamen
cum michi accidit, ut me amplius cantus, quam
res, quę canitur moveat, pęnaliter me peccare
confiteor, et tunc mallem ~~xx~~ non audire cantorem. Cour.
Sophon: 1: 9: Et visitabo super omnem qui arrogantes ingre-
ditur super limen in die illa (excidii Hierusalem)
Hebr: Qui saltat super limen, hoc est, qui tanto
fastu et arrogantia ingreditur, ut saltitando in-
cedere videatur, presertim cum gradus templi
conscendit: quod Amos culpat dicens cap: 6: 1:
Vę qui opulenti estis in Sion, ingredientes pom-
patice domum Israel. Taxat ergo principum, no-
bilium et divitum arrogantiam in ingressu templi,
in quo omnes coram Deo se humiliare debeant,
humilitatemque et habitu, et incessu, et gestu
profiteri. Cour.
Matth: 21: 12: Et intravit Iesus in templum Dei: et eiiciebat omnes ementes

et vendentes de templo: et mensas nummulariorum, et cathedras vendentium columbas evertit. Mirum est uni homini pauperi, qualis erat Christus, omnia sacerdotum lucra in templo subvertenti neminem eorum restitisse:

13. Et dixit eis: Scriptum est (Isai: 56: 7:) Domus mea domus orationis vocabitur: vos autem fecistis illam speluncam latronum. Quia scilicet sacerdotes sub lucro intenti honesta templi specie, quasi in spelunca latitantes, cara venditione, usuris, aliisque fraudulentis modis et artibus peregrinos et pauperes expoliabant, imò expilabant uti faciunt latrones. Templum ergo est domus, non confabulationis, non speculationis, non potationis, non comessationis, sed orationis. Unde videant quam à Christo flagellandi sint, qui illud garriendo circumspiciendo, lasciviendo, potando profanant. Hinc disce quanta reverentia debeatur templo scilicet quę debetur domui Dei; de eo enim dicit Christus, domus mea: quare sicut herus iniuriam domui suę factam, ut sibi factam persequitur et ulciscitur sic et Christus

iniuriam templo illatam, sibi illatam existimat ac ut talem punit et uindicat. Quare apposite S. Aug:ⁿ Nemo, inquit, in oratorio aliquid agat nisi ad quod factum est, unde et nomen habet. Gen:

Gen: 28: 16: Cumque euigilasset Iacob de somno, ait: vere Dominus est in loco isto, et ego nesciebam/ 17/ Pauensque; Quam terribilis est, inquit, locus iste, non est hic aliud nisi domus Dei, et porta cęli. Vide hic quam a tempore Iacobi et Abrahę, Deus certa loca sui apparitione, beneficiis, miraculis illustrauit, ibique coli et inuocari noluerit. Si ergo tam terribilis fuit locus hic, quid erit Ecclesia Christianorum, in qua non umbra, id est arca testamenti asseruatur, ut fiebat in tabernaculo Mosis, sed omnipotens ipse verus omnium conditor sub augustissimi Sacramenti candido uelamine, ac uelut nebula vere habitat. Unde S. Chry:ˢ Ecclesia, ait, est locus Angelorum, locus Archangelorum, regnum Dei, ipsum celum,

quod

quod si non credis, aspice ad hanc mensam. / id est altare.

18. Surgens ergo Jacob mane, tulit lapidem quem supposuerat capiti suo, et erexit in titulum / saxum in quo dormierat, elevauit Jacob, rectumque statuit, ut esset monumentum uisionis et apparitionis sibi factae. Eundem lapidem etiam in altare consecrauit, unde titulus hic non tantum monumentum, sed etiam altare significat. Atque hinc primi Christiani ad exemplum Jacobi, Ecclesias suas uocarunt titulos, a titulo, id est signo Crucis; et a titulo, id est nomine alicuius Sancti, in cuius honorem nominabantur et consecrabantur Ecclesiae. / Fundens oleum desuper / In signum consecrationis, quia res consecratae oleo unguntur. Sic ad Jacobi exemplum Ecclesia altaria et templa sacra unctione Deo dicat et consecrat. Corn.

Exod. 3. 4. Cernens autem Dominus quod pergeret ad uidendum / rubum / uocauit eum de medio rubi: et ait: Moyses, Moyses.

Qui respondit: adsum. (s) At ille: Ne appropies, inquit, huc: solve calceamentum de pedibus tuis: Locus enim, in quo stas, terra sancta est. Vide hic quanta reverentia templis locisque Deo dicatis debeatur. Hinc et sacerdotes Aaronici in tabernaculo, nudis pedibus sua munia obibant. Idem factitarunt ipsi Gentiles. Corn.

Levit: 1. 13: Holocaustum est oblatio suavissimi odoris Domino. Hebr.ce Holocaustum est et ignitio, id est ignita oblatio, qua totum per ignem pure in honorem Dei consumitur, ideoque suavissimi odoris est, et summè Deo placens. Quare tam sacerdotes quam populus mira religione et silentio hisce sacrificiis aderant. Sic apud Romanos Numa sanxit ut sacrificia praeco ingenti voce praecedens clamaret: Hoc age, animos scilicet sacrificio adhiberi iubens. Atque ut scribit Seneca, clamando, favete linguis, indicebatur silentium, ut ritè peragerentur sacrificium, nulla

mala voce obstrepente. Audiant Christiani in Ecclesia garruli, audiant immodesti S. Ambrosium. Estne quidquam indignius, quam oracula diuina circumstrepi ne audiantur, ne credantur, ne reuelentur? Circumsonare Sacramenta confusis uocibus, ut impediatur oratio pro salute deprompta omnium, cum Gentiles idolis suis reuerentiam tacendo deferant? Si cęlum est templum, ut ait S. Chrys. uide quid in cęlo agant Angeli. In ipso templo hęc audis, si sacro auscultas. Maiestatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates: cęli cęlorumque Virtutes, ac beata Seraphim, socia exultatione concelebrant. Id ipsum et tu in templo age, lauda, ora Deum, iuxta illud psal. 28. In templo eius omnes dicent gloriam, et psal. 64. Te decet hymnus Deus in Sion, id est in Templo: Hebraice est: Tibi silentium est laus, ó Deus, in Sion: silentium enim

Est laus quedam tum interna animi deum ve-
nerantis, tum externa, quia alios excitat ad Dei
laudem dum in sacris vident tantam modestiam
et religionem. S. Chrysost: Sacerdos, inquit, parat
fratrum mentes dicendo, Sursum corda. Et dum
respondet plebi: Habemus ad Dominum, admo-
netur se nichil aliud quam deum cogitare debere. Corn:

Reg. 3. 8. 54: Factum est autem, cum complesset Salomon orans
Dominum omnem orationem et deprecationem hanc,
surrexit de conspectu altaris Domini: utrumque
enim genu in terram fixerat, et manus expande-
rat in celum. Notent hoc nobiles delicatuli et
gloriosuli qui orant uno genu in terra fixo altero
elevato, quasi pugnaturi cum Deo, ni concedat
quod petunt. Rex regum Salomon orans ecce
utrumque flexit genu, et utrasque manus in celum
expandit, atque hoc gestu supplex permisit toto tem-
pore prolixe orationis sue: Et nos viles paupe-
resque homunculi dedignabimur utrumque genu

flectere

~~88~~ 378

283:

flectere, ut uno supplicari deo, altero minari ei:
dem videamur. Corn:

Prov: 19: 25: Pestilente flagellato / Publice / stultus / videns hoc,
et inde correctus / sapientior erit. Id est ali-
quantulum sapiens: abusiva est comparatio. Aug:
Pestilentes hic et alibi vocantur derisores et
illusores qui omnia sacra et sancta vident,
et in iocum ludumque vertunt, imò ridicu-
lant et subsannant: hi enim sunt summe noxii
et pestilentes. Hi proinde pene sunt incura-
biles, nec verbis sed verberibus comprimendi,
ut, si non ipsi, certe alii eorum supplicio resi-
piscant et sapiant. Corn:

Ζ

De Asylo et.
Immunitate Ecclesię.

~~48~~ 380

r8s:

De Ecclesiæ Asylo.

ligandr.
nor: 9.
m: 13
ur. 1.

Immunitas localis Ecclesiæ solet etiam vocari ius Asyli, et competit malefactoribus confugientibus ad loca pia publica, nimirum ad Ecclesias, Cæmeteria, Monasteria, et authoritate Episcopi erecta hospitalia, ut exinde (licet gravia crimina commiserint) violenter extrahi, aut pœna corporali sanguinis affici non possint. Nec tamen immunitas non eo tendit, ut malefactores nullatenus puniantur, sed ut pœna corporalis commutetur in pecuniariam, vel Ecclesiasticam, et damna illata civiliter compensentur.

Præter delicta excepta (de quibus postea) omnes rei, quorumcunque criminum, gaudent immunitate, v. g. fures, sacrilegi, periuri, suspensi, interdicti, excommunicati, occidentes in duello, Homicidæ, Clericorum occisores, Parricidæ, seclusa proditione, vel assassinio, Sodomitæ, Adulteri, Monialium defloratores, raptores, blasphemi, Simoniaci, Religiosi Apostatæ, si confugiant ad Ecclesiam alterius Religionis. Clerici, si commiserint gravia, ob quæ torqueri, degradari, Curiæ seculari tradi, ad triremes, vel perpetuos carceres deberent condemnari; secus est, si agatur solum de pœna eorum mere Ecclesiastica, quæ potius correctio, quam fori externi vindicta est. Item

Iudæi

Iudaei, et Gentiles, seu Pagani iuxta Sylvestrum.

Crimina excepta, seu immunitate non gaudentia sunt.

1. Haeresis id est, haereticus formaliter sumptus, seu pro delicto haeresis tantum, non gaudet immunitate, bene tamen pro aliis delictis.

2. Homicidium et mutilatio facta physicè in Ecclesia, vel prope Ecclesiam cum spe immunitatis.

3. Homicidium proditorium, effectu secuto, et est quando aliquis nulla praecedente rixa, vel rancore, sed potius simulata amicitia occiditur veneno, vel à tergo, vel aliàs nihil tale metuens, seu in iis circumstantiis, ubi praecavere non debuit.

4. Assassinium, et est quando quis ad alicuius interitum mercede conductus, seu pro pecunia occidit hominem.

5. Crimen lesae Maiestatis commissum directè in personam Principis, puta supremi, seu in temporalibus superiorem non recognoscentes, ut Reges et similes. Dixi, directè, secus enim est de crimine commisso in Legatos, Proceres, vel statuam Regis, vel dignitatem Regis, v.g. cudendo falsam monetam, vel faciendo se Regem, cum non sit. Quia in hic non offenditur persona Regis (de qua loquitur Bulla) sed dignitas.

Item

De Asylo q

383
288.

51

Item, iuxta Bullam, offendens debet esse Vasallus Regis
Sedis uel ratione originis, uel domicilii.

6. Publici Latrones, id est, qui interdiu et palam publicas uias ar=
mati obsident, transeuntes aggrediuntur et spoliant, resis=
tentes uulnerant. Item Piratae, et qui inuolant castra, et qui=
bus erumpunt, ac vicinos, aut peregrinantes damnificant.

7. Nocturni depopulatores agrorum, id est qui nocturno tempore,
et latenter uastant segetes, damnificant rusticos, aliosue
itinerantes in uiis publicis. Vtrumque hoc crimen requirit
uiolentiam, et assiduitatem, id est frequentiam.

Pono duos casus. 1. Malefactor confugit ad sacerdotem, quem uidet
per plateam portare Eucharistiam, seu associat se comitantibus,
gaudetne imunitate? Item quero, si Eucharistia afferatur alicui ad
carcerem, qua occasione reus arripit stolam sacerdotis, uel ciborium.
2. Homicida, aliusue malefactor uinctus ductus per Ecclesiam, uel
Cemeterium, in quo proclamat ad imunitatem, gaudet ne ea.

Ad 1. pro 1. parte cum comuni et practice ueriori sententia assero;
pro 2. parte Nego. Ratio 1. p. Tum quia Corpus Christi est
longe dignius loco pio, imo est ratio, et fundamentum imuni=
tatis illis concessae. Tum Si de iure fruuntur imunitate gaudent, qui
confugiunt ad statuas Principum, et iuxta aliquos D. D. a morte

liberatur

~~38~~ 384
c. 89:

liberatur reus, cui Cardinalis obviam factus pileum suum imponit; cum non a fortiori in casu posito. Ratio 2.æ p. est: Quia talis proprie non dicitur confugere ad asylum, quod concessum solum est fugientibus ad ipsum, qui in libertate sunt: quomodocumque ad eam venerint. Ad 2. casum respondetur negative: Ratio: Quia non est liber, nec ad libertatem redit, uti rediret, si e manibus lictorum elaberetur, et tunc gauderet immunitate.

Dic mihi: Unde reus ad Ecclesiam confugiens alendus? Dico 1: Subministratio alimentorum non potest impediri. Quia alias reus indirecte saltem extraheretur ab Ecclesia, vel in ea fame occideretur. Dico 2. Si reus habet bona propria, ex iis est alendus, sin minus a consanguineis; quos si non habeat, monendi sunt fideles, quod tenentur extreme indigenti succurrere, apud quos proinde facienda est collecta pro eo. Si hæc media non proficiant, Ecclesia, eiusque clerici eum alere tenentur. Ratio est: Quia eis incumbit incolumitatem protegere vitæ et membris rei ad se confugientis.

Cuius authoritate reus ex Ecclesia extrahendus, si immunitate non gaudeat? Dico: Authoritate Ecclesiastica, seu Ordinarii: Ratio: Quia illius fori est immunitas, eiusque examen: Hinc si Iudex secularis id attentaret, graviter peccaret, teneretur que reum Ecclesiæ restituere.

De Asylo

Num: 35: 11: Decernit, quę urbes esse debeant in presidia fugitivorum, qui nolen-
tes (idest involuntarie) sanguinem fuderint. Nota. Concessę sunt
hę urbes refugii in asylum: Primo, ut essent innocentis et inno-
centium auxilium et presidium. Secundo, ut ostenderet Deus, quam
serio in homicidium voluntarium presertim inquirendum esset.
Tertio, ut eius qui occisus erat propinqui subtraheret materiam
irę, doloris et vindictę. Quarto, ut novarum rixarum et cędium
auferret occasionem. Quinto, ut esset in refugii sacris penitentię
typus et figura.

Simili modo in lege nova veris asyla sunt omnes Ecclesię, cemeteria,
cęnobia, domus Religiosę et Ecclesiasticę quare plura sunt asyla
Christianis, quam fuerint Iudęis. Rursum Iudęi tantum habebant
asylum, pro homicidiis involuntariis: quia alia peccata fere [illegible]-
voluntarie et dedita opera committunt, ideoque ea tunc impunita
esse noluit Deus: Christiani vero asylum habent, fere in omni
crimine et periculo: dico fere, nam cap. inter alia, tit. de imun.
Eccles. asylum negat nocturnis agrorum depopulatoribus, publicis
latronibus, viarumque obsessoribus. Item ius asyli non habent
virginum raptores, proditores, sacrilegi, blasphemi, heretici, Apos-
tatę, Iudęi, et quotquot in ipsis asylis delinquunt. Gregor.
tamen 14: nova constitutione hęc ad unam tantum formam
redegit, qua ius asyli negat laicis publicis latronibus, viarum gras-
satoribus, depopulatoribus agrorum, iis qui homicidia aut mutilationes

com:

committunt in Ecclesia, vel cemeterio, iis qui proximum proditorie occidunt, assassini, heretici, vel lesę maiestatis. Ex urbe re-fugii Iudex extrahi poterant ad iudicium, ut in eo causa eorum ventilaretur; et si deprehenderentur occidisse voluntario, ac proinde non habere ius asyli, morte mulctabantur. Nam autem nec Iudex, nec quis alius verum Christianum ab asylo abstrahere potest. Iudei habebant asyla iure divino, utpote à Deo prescripta. Hoc autem ius iudiciale erat, et ceremoniale, ideoque iam abo-litum est. Christiani verò habent asyla iure humano: quia videlicet Pontifices, et Reges, vel Imperatores illa, illorumque jus constituerunt: unde quibusdam in locis illud dilatarunt, in aliis restrinxerunt. Causa asylorum fuit, reverentia templo-rum et locorum sacrorum, atque ipsius Dei. Dum enim domus Dei habentur sacrosancte, et asyla, celebratur eius gloria et maiestas. Secundò eius misericordia et benignitas commen-datur; dum miseros reos ad se confugientes in suam tutelam recipit. Nova. Dicit hoc capite, quam ius asyli et Eccle-sie inuiolatum servari debeat: hinc qui illud violarunt gra-viter à Deo puniri sunt. Heliodorus volens aurum deposi-tum in templo sibi vendicare, flagellatus est ab angelo, et vix Oniç precibus liberatus est 2. Machab: 3: ~~Alimo~~ Nicanor 2. Machab: 14: Deum spernens, et iurans se templum Domini

Libero pati dicantur, nisi tradiderint Judas, qui ibi erat,
interfecturi. S. Justus Episcopatu Lugdunensi relicto, seces=
sit in eremum Ægypti, diuque ibi latuit, pœnitentiam agens,
quod hominem, qui confugerat ad Ecclesiam, reddidisset, ut populi
sedaret furorem, accepta prius fide à Magistratu quod nullum
illi homini periculum intentaret. Coun:

Lege aeterna et natu:
rali — — pag: 1:
uid est Lex aeterna? Estne
ni creaturę rationali nota.
omnium aliarum Legum causa. — 5:
bligantur ne Legi aeternę
nnes creaturę? — — 5:
id est Lex naturalis?
tne mutabilis, aut dispen:
bilis? — — — — 6:
nne Lex naturę patitur
erpretationem uel Epikeiā: 11:
ectantne omnia Decalogi
ęcepta ad Legem naturę,
sint immutabilia et indispen: sibilia — 13:
estne dari inuincibilis igno:
rantia Legis naturę et Deca:
gi in homine habente usū
rationis? — — — — 15:

Sententię.

xcide tibi duas tabulas lapideas,
mandauit illis unicuique de
oximo suo.

Qui quęrit Legem, reple: [lege] bitur ab ea: et qui insidiose agit,
scandalizabitur in ea — — 21:
Homo sensatus credit Legi
Dei, et Lex illi fidelis.
Vade, sume tibi uxorem for:
nicationum ę — — — 23:

De dispensatione Legis.

Ego enim per Legem Legi
mortuus sum — — — 29:

Decalogus. — — 31:

In Psalterio decacordo psalla
tibi. Qui diligunt eum,
replebuntur Lege ipsius — — 35:

Primum Pręceptum.

De Idolatria.

Sententię.

Non habebis deos alienos in
conspectu meo.
Non facies tibi sculptile — 37:
Non adorabis ea, neque coles. — 38:
Impugnatur hęretici

Primum decalogi Præceptum.

Ego sum dominus deus tuus etc.

Peccatum contra hoc præceptum Primo etc. — 50:

Sententiæ.

Diliges dominum deum tuum etc. 52:

Per Sententias scholasticæ principia exponuntur — 59:

De origine idolorum etc. — 62:

Fornicatio et uinum, et ebrietas auferunt cor.

Cum cognouissent deum, non sicut deum glorificauerunt — 66:

Propter quod tradidit illos in desideria cordis eorum etc.

Propterea tradidit illos deus in passiones ignominiæ — 68:

Philosophi, spurcissimi — 69:

Cui ergo similem fecistis deum — 70:

Os habent et non loquentur etc.

Oculos habent et non uidebunt;

Aures habent etc. — 72:

De Atheismo et Infidelitate

Quid et quotuplex est infidelitas. Estne peccatum? — 81:

Estne quælibet actio hominis infidelis peccatum? — 82:

Quot et quæ sunt species infidelitatis? — Species sunt Primo Atheismus etc. — 85:

Liceatne cum infidelibus disputare uel communicare etc. — 87:

Quid de lectione librorum infidelium et hæreticorum? — 92:

Sententiæ.

Dixerunt enim cogitantes apud se non recte: Exiguum et cum tedio est tempus uitæ nostræ etc.

Sunt Atheorum uoces. Sap: 2: 1 — 93:

Non faciet dominus bene et non faciet male etc.

Non decent stultum uerba composita etc. Politici etc. — 95:

Diligite iustitiam, et Politici — 96:

Tenebris obscuratum habentes intellectum — — — 99:
Qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitie — 101:
Quidam autem Epicurei, et Stoici Philosophi disputabant cum eo (Paulo) eorum axioma: — 102:

De Magicis artibus.

Quid est Superstitio, et que species eius — — — 109:
Idolatria. Diuinatio — — 110:
Prestigium. Diuinatio somniorum — 111:
Necromantia. Diuinatio per Pythones. Geomantia. Astrologia iudiciaria — — — 113:
Chiromantia, et Physiognomia — 115:
Augurium. Omen — — — 116:
Sortilegium — — — — 117:
De uana obseruantia — — 120:
De arte notoria ad scientias aquirendas — — — 120
Obseruatio sanitatum — — — 120:
Obseruatio euentuum — — — 121:
Incantationes, vel figuras collo appensas — — — — 122:
Magia. An liceat maleficium maleficio tollere — — 125:
De Sagis — — — — 126:
De tentatione Dei — — — 127:

Sententie.

Experimento didici quia benedixit michi Dominus propter te. Cur quis fortunatus alius non — 128:
Nunquid non Dei est interpretatio? An ex somniis liceat diuinare? — — — — — 129:
Vocauit Pharao sapientes, et magos de Magicis artibus — 130:
Maleficos non patieris uiuere — 132:
Non augurabimini: nec obseruabitis somnia.
Querite michi mulierem habentem Pythonem — — — 133:
Samuelem michi suscita.
Terrebis me per somnia — 134:
Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur — 135:

Vana spes, et mendacium uiro insensato, et somnia extollunt imprudentes — — — — — 136:
Quasi qui attendit ad uisa mendacia.
Diuinatio erroris, et auguria mendacia, et somnia malefacientium, uanitas est — — 137:
Venite et mittamus sortes etc 138:
De Heresi, Apostasia, et Schismate — — 141:
Quid est heresis, ac quotuplex Estne peccatum, et quæ pœna eius — 143:
De Propositionibus hereticis, erroneis etc — — — — 145:
De Apostasia — — — — 148:
Quid est Schisma, et in quo ab heresi differt, et quæ eius pœna 149:

Sententiæ.

Vadam post amatores meos — 151:
Facti sunt Principes Iuda quasi assumentes terminum.
Auditum facite et uidete insanias multas in medio eius — 152:
Attendite à falsis Prophetis — 153
Intrabunt lupi rapaces etc — 154
Si quis aliter docet etc superbus est, nihil sciens etc — — 156:
Fuerunt uerò et Pseudoprophetæ in populo — — — 156:
Et multi sequentur eorum luxurias etc — — — — — 159
De hæreticis usque — — 160:
Si dixerimus quoniam societatem habemus cum eo et in tenebris ambulemus, mentimur — — 162:
Si quis uenit ad uos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum etc — — — 168:
Subintroierunt enim quidam homines, qui olim præscripti sunt 169:
Hi autem quæcunque ignorant, blasphemant — — — 171:
Et uidi de ore leonis etc tres spiritus immundos etc — — 172:
De Simonia — — 172:
Quid, quotuplex, et quantum peccatum est Simonia — — 175:

Simoniæ.

Mentalis, Conventionalis, Realis completa, Confidentialis — — 177:
Simonia Iure naturæ, vel Eccle=siæ prohibita — — — 178:
Qua ratione licet accipere pre=tium pro administratione Sacramentorum, pro Missa, Sepulturis &c. — — 181:
Circa horas Canonicas — 182:
De dispensationibus in Curia Romana, quæ non dantur sine pecunia — — 184:
Circa Regulares — — 186:
Quomodo committitur Simonia in Beneficiis — — 188:
Qui dicãe Iure Patronatus — 190:
Papa potestne incurrere Simo=niam, cum sit supremus in Eccl.ia — 193:
Quæ nam est Simoniacorum obliga=tio ad restituendum, et quæ penæ — 194:

Sententiæ.

Gratis accepistis, gratis date — — 198:

De Hypocrisi.

Quid sit Hypocrisis — — 203:

Sententiæ.

Simulatores et callidi provocant iram Dei — — — — 208:
Ne fueris Hypocrita &c. — — 209:
Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere, sicut hypo=critæ &c. — — — 210:
Væ vobis Scribæ hypocritæ — 210:
Spes hypocritæ peribit:
Nolite fieri sicut equus et mulus 211:
Et veritas tua in circuitu tuo — 212:
Posuit terram fructiferam in salsuginem. Non nobis sed Nomini tuo da gloriam — — 213:
Super misericordia tua et veri=tate tua: ne quando dicant Gen=tes: ubi est Deus eorum? — — 214:
Homo apostata, vir inutilis De hypocrisi. — — — 215:
Et revelet Dominus abscondita tua — — — — 216:

Secundum Præceptum — 221:
Non usurpabis Nomen Domini
Dei tui frustra. Peccatum contra
hoc Præceptum, dicitur malè iurando 222:
Sententiæ.
Alioquin per salutem Pharaonis
An hoc sit iuramentum
Deus Abraham, et Deus Nachor
De iuramento ab infidelibus ex-
cipiendo — — — — 223:
Et per nomen externorum deo-
rum non iurabitis — — 225:
Si peccaverit anima, et audierit
vocem iurantis — — — 226:
Quia non erit impunitus qui
super re vana Nomen as-
sumpserit. — — — — 227:
Quid, cuius virtutis actus, et
quotuplex, ac quantæ obliga-
tionis est iuramentum? et
quid est periurium? — 228:
Formulæ iurandi
Formulæ iurandi dubiæ — 229:
De iuramento, quod est actus
virtutis et Religionis — 229:
De casibus, in quibus Iura-
menta non obligant — 231:
Quid de Iuramento coacto — 232:
Quid si non sit eadem inten-
tio iurantis, et eius qui iurat? 233:
De Iuramentum obligatne
sub mortali, in re parva — 234:
Obligatne Iuramentum in re
gravi cum periculo vitæ — 235:
Inter Christianos verus mori
dimittitur ex carcere, qui iurat
se redditurum, teneturne reddere — 235:
Licetne Iuramentum exigere
ab eo qui creditur periuraturus
Licetne Iuramentum, et licitum di-
cere: Quod dico, tam verum est,
quam Evangelium, aut, quam quod
Deus sit unus? — — —
Quomodo tollitur iuramentum?
Quid et quotuplex est Menda-
cium, quantum et in omni casu
peccatum? — — —

Tenemur

ermuvne semper dicere ve:
arem? Item liceatne uti verric:
one mentali, vel equivocatione 239:
lex est verricioq — — 240:
amphibologia — — — 240:
qui per verricionem, vel
equivocationem materialem,
estne mentiri? — — — 244:
e duabus propositionibus
damnatis circa hunc modu
loquendi — — — — 244:
De illis complimentis: servus
tuus — — — — 248:
rile plura super modum
loquendi cu equivocatione — 249:
dictum est, ex iusta causa, uti
verbis amphibologicis ad occul:
andam veritatem, et hoc iura:
mento affirmare, quando — 252:
rile — — — — 256:
Resolvuntur septem casus in
hac materia ad scrupulos tol:
lendos — — — — 259:

Sententiae

Non vocem mendacii: Cetra gene:
ra mendacium
Verbum secretum habeo ad
te, o Rex (et percussit eum) 263:
Et imutauit os suum (David)
coram eis: de fictione — 265:
Perdes omnes qui loquuntur
mendacium — — — 266:
Iurationi non assuescat os
tuum — — — 267:
Nominatio vero Dei non sit
assidua. Vir multum iu:
rans implebitur iniquitate 268:
Et si vacuum iuraverit — 269:
Ego autem dico vobis non iu:
rare omnino — — — 270:
Advertis circa iuramentu — 271
Sit autem sermo vester: est,
est: non, non — — 271
Ponite insidias dixit Iosue 272:
Laudabuntur omnes qui iu:
rant in eo — — — 273:
Iuravi et statui custodire
judicia iustitiae tuae — 275:
Habor sabiorum ipsorum operiet 276:

Sex sunt quę odit Dominus
Linguam mendacem — — 277:
Verbum mendax iustus
detestabitur — — — 278:
Testis fidelis non mentitur — 279:
Non decent stultum verba
composita, nec Principem
labium mentiens — — 283:
De blasphemia. — 286:
Quid sit blasphemia:
Et duplex — — 287:
De eo qui indeliberate blasphemat ex consuetudine — 289:
De eo modo dicendi: Hoc
tam verum est, quam quod
Deus extat — — 290:
Sententię.
Educ blasphemum extra
castra et lapidet eum 291:
Qui exprobrasti, et quem
blasphemasti — — 292:
Spiritus blasphemię non remittetur. Quid sit spiritus 298:
Quem tradidi Satanę, ut discant non blasphemare — 300:
De voto — — — 302:
Quid et quotuplex est votum
et quę requisita ad eius obligationem — — — 303:
De votis ieiunandi, peregrinandi, sacris a Communicandi: 305:
Duplex est votum, simplex
et solemne — — — 306:
Vota ex ignorantia, vi, errore,
seu metu facta, suntne valida? 308:
Quę est materia, seu res capax voti — — — — 311:
De eo qui vovet rem bonam
ad finem malum — — — 311:
De eo qui dubitat, an voverit — 312:
Quid de eo, cui votum ex toto,
vel ex parte factum est impossib: — 315:
Quid, si difficile?
Quę sunt causę voti dissolvendi: 316:
Quot modis votum tollitur.
Explicantur singuli — — 321:

Quęnam sint iustę dispensandi causę? — — — 323:
Quinam habeant auctorita: tem dispensandi — — 324:
Quęnam sunt vota Papę reseruata — — — 324:
Quid obseruandum in commutatione voti — — 326:

Sententię.

Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere: Multoque melius est non vouere, quam &c — — 328:
Primogenita &c nemo vouere poterit &c — — — 330:
Reddam tibi vota mea — 332:
Est qui promittit &c — 333:

Tertium Pręceptum — 336:

Obserua diem Sabbati — 338:
Quomodo sanctificanda sint Festa. Peccant contra hoc &c — 340:
Quid est Festum

Quid est Festum, cur, et à quo institutum, quando incipit — 341:
De die Dominica &c — 342:
Quęnam opera in Festo ex pręcepto sunt facienda — 343:
De auditione Missę — 345:
A quibus operibus ex pręcepto abstinendum est &c — 348:
Quę sunt legitimę causę excusantes à celebratione Festorum — 351:

Sententię.

Et benedixit diei septimo:
Quid comedemus &c — 353:
Inuenerunt hominem colligentem ligna in die Sabbati — 354:
Dies sanctificatus est Domino Deo nostro.
Non defraudaueris in die bono — 355:
Nolite portare pondera in die Sabbati. Et legite librum &c in die solemni — 356:
Insuper et Sabbata mea dedi eis, ut essent signum inter me, et eos — 357:

Dominus enim est Filius hominis etiam Sabbati.
Si licet Sabbatis curare — 258:
De Feriis et Festorum dierum observantia ex Concilio Romano, sub Benedicto 13: A. 1725 — — 260:
Servile opus quomodo Festis diebus permittendum. — 262:
Videte ut Sabbatum meum custodiatis.
Hæ sunt feriæ Domini — 263:
Et gloriati sunt (dæmones) qui oderunt te in medio solemnitatis tuæ. Dixerunt
Quiescere faciamus omnes dies Festos Dei à terra — 265:
De Veneratione Templorum et rerum Sacrarum — 268
Facientque michi Sanctuarium, et habitabo in medio — 270:
Facies et labrum æneum — 272:
Custodi pedem tuum ingrediens domum Dei — — — 272:
Et appropinqua ut audias — 273:
Lætificabo eos in domo orationis meæ — — 274:
Aufer à me tumultum carminum tuorum — 275:
Et visitabo super omnem, qui arrogantes ingrediuntur super limen — — — 276:
Et ejiciebat omnes ementes et vendentes in Templo
Domus mea domus orationis vocabitur — — 277:
Quam terribilis est, inquit, locus iste — — 278:
Surgens ergo Jacob erexit in titulum fundens oleum desuper. — 279:
Locus, in quo stas, terra sancta est. Holocaustum est oblatio suavissimi odoris Domino — 280:
Utrumque enim genu in terram fixerat Salomon — — 281:

Scintillante flagellato, stultus sapientior erit — — — — 283:

De Asylo et Immunitate Ecclesiæ — — 284:

Quinam gaudeant privilegio Asyli — — — — 286:

Unde reus ad Ecclesiam confugiens alendus? — — 289:

Cuius authoritate reus ex Ecclesia extrahendus — 289:

Sententiæ.

Decernite quæ urbes esse debeant in præsidia — 290:

Simili modo in Lege nova

403

4104

7190

Rest. Libro Antico
Cav. G. DI GIACOMO
Tel. 71550 - PESCARA
1981